NAZ. CENTR.
R. BIBLIOTECA VITT. EMAN II
204
2 G
16
ROMA

204 2 G.16

SANCTI IOANNIS DAMA-SCENI LIBRI TRES

Apologetici, aduerſus eos qui ſanctas imagines traducunt & criminantur, nunc primùm in latinam tralati coloniam, Godefrido Tilmanno Cartuſiæ Pariſiẽſis monacho, interprete.

His acceſsit S. Patris Theodori Dogmatice de honore & adoratione ſanctis imaginibus, exhibendis, per præſcriptum interpretem.

Cum Priuilegio.

PARISIIS
Apud Gulielmum Guillard, via Iacobæa, ſub D. Barbaræ ſigno.
1555.

LE vingtſeptieſme de Nouembre, M.D.L IIII. Reuerend pere en Dieu meſſire Iehan du Tillet Eueſque de ſainct Brieu, A permis à Guillaume Guillard Imprimeur et Libraire ſuyuant le priuilege du Roy l'Impreſſion & vente du Liure intitulé, Sancti Ioannis Damaſceni Libri tres apologetici aduerſus eos qui ſanctas Imagines traducunt & criminantur, nunc primùm in Latinam tralati coloniam, Godefrido Tilmanno Cartuſiæ Pariſienſis monacho. Interprete His acceſſit S. Patris Theodori dogmaticæ de honore & adoratione Sanctis Imaginibus, per præſcriptum interpretem. Auec defenſes à tous autres d'y attenter ou contreuenir, ſur les peines contenues es lettres patentes dudict Seigneur. Données à Paris le dixneufieſme iour de Ianuier. M.D.L II. Enterinées en Parlemẽt le troyſieſme iour de Mars, audict An.

AD OPTIMUM QUENQUE LECTOREM PARAENESIS

Godefridi Tilmanni Cartuſi.

NON nimiſquam multis te præmonitum velim cādide Lector. Mirari non deſino, quínam factum ſit vt noſtri penè ad vnum omnes Chronographi aut (ſi mauis) viographi tam à ſe diuerſi abierint, imò veriùs cōtrouerſi, de ætate qua vir hic planè beatus in viuis fuit, támque multa ſcripſit ad propugnandā ſynceritatem fidei orthodoxæ ac mordicus tuendas traditiones priſcorum patrum militantis eccleſiæ fortiſsimus hyperapiſtes. Sed enim mihi rem ipſam preſsiùs circunſpicienti hæ occurrunt cauſæ. Inter eos qui à nobiliſsima ciuitate Syriæ, Damaſco nomen aut cognomen ſunt ſortiti & ad poſteros celebrem ſui memoriam trāſmiſerūt ſcriptis ſuis: in his fuit Nicolaus Damaſcenus quem locis aliquot inducit Ioſephus aduerſus Appionem, quíque octoginta reliquit libros ac Cæſaris inſtitutionem. Fuit alter Menophilus Damaſcenus. Hos præter, fuere duo iiſdem nomine & cognomine, nempe Ioannes Damaſcenus Meſue filius, paternæ artis, hoc eſt medicæ peritia inſignis. Alter hic eſt quo de agimus & cuius Apologeticos tres libellos damus qualicunque filo latinæ dictionis à nobis quidem nunc primùm pertextos & typis excuſos, ſuperiore autem anno Græcè editos per prælum vnà cum Dogmatice Theodori Cœnobiarchæ * Studitarum & vita ſancti huius per Ioannem Hieroſolimitanum Patriarcham Græcè deſcriptam. Hos qui leget, facilè deprehēderit, quàm ſit verum quod ſcribit Raphael Volateranus, nempe quòd à piratis gentis Saracenicæ in captiuitatem abductus redemptus ſit à Theodoſio. Quod dictum quàm verum ſit, dignoſſe poteris lector ex Viographo Græco. Tametſi in pleriſque aliis verum ſit quod vel vulgi rumore iactatur: Et mendax Græcus in hiſtoria. hac tamen vna in re propiùs accedo & aſſentior Hieroſolimitani hiſtoriæ, quippe qui eccleſiæ præfuit quo tempore hic planè beatus in laura, monaſterio ſcilicet S. Sabe a Hieroſolimis non procul diſparato & pientiſsimè vixit & è non inerti cuſtodia cellæ in cœlum prouehi promeruit. Hoſce libellos abuſque Roma & attulit & obtulit vertendos venerabilis epiſcopus Brioceníis Ioannes Tilius, vir (ſi quis alius) lingua vtraque excellens, apud quem ſepoſita ſunt & alia huiuſce ſancti opuſcula non pœnitendæ eruditionis. Proinde illud tranſmitti non debet indictum, quia noſtris impoſuit & eam offudit caliginem nomen Theodoſii Impera-

** De Studitarum cœnobio lege Nicephorum Calliſtum.*

toris. Ob id factum, vt nonnulli eum reiecerint in tempus Theodoſii iunioris filii Arcadii qui à Chriſto nato. 410. ſumpſit habenas imperii etiamdum puer ſub tutela Iſdigerdis Perſarum regis. Alii malunt ſcripſiſſe ſub Theodoſio ſeniore & eius iuſſu truncatam illi manum ob compertã per literas ſuppoſititias proditionẽ. Porrò hic Theodoſius Arcadii & Honorii pater à nece Gratiani mox merum ſumpſit imperium anno Domini. 386. Multò his iunior fuit noſter Damaſcenus. Siquidem opus hoc Apologeticum in defenſionem venerabilium imaginum elucubratum eſt aduerſus facinoroſum imperatorem Leonem Iſaurum qui in gratiam duorum Iudæorum quòd ei prædixiſſent imperatorem fore. Is inauguratus imperio, cauit edicto, nequi ſanctorum imagines venerarentur, ſed eas vbilibet terrarum Romanæ ditionis contraderent Vulcano ardenti. Ad abolendam peſtilentem hanc hæreſin priùs quidem conſopitam, ſed à Leone rugiente, ſæuiente & rapiente inſtauratam, eiúſque filio Conſtãtino Copronymo reuera Pheronymo corroboratam & auctam (quòd is vnà cum imaginibus etiam ſanctorum Lipſana igne abſumi iuſsit aut in mare iactari) imperante Irene cum filio Conſtantino, Niceæ celebrata eſt Synodus trecentorum quinquaginta antiſtitum quorum ſuffragiis ſemel decerneretur, eſſént ne templis reſtituendæ ſanctorum imagines, an in omne tempus interlinendæ. Aſſenſerunt omnes ritu Romanæ eccleſiæ eas eſſe in templis obſeruandas & colendas. Quónam mentis ſcopo ſint venerandæ, docet diſtichon Græcè primùm, dein in Latiã coloniã verſum ſub rhythmo tinnulo (quo ea ætas ſe oblectabat) teſte M. Anto. Sabellico libro viii. octauæ Enneadis. Id ita ſe habet,

Nam Deus eſt quod imago docet, ſed non Deus ipſa:
Hanc videas, ſed mente colas quod cernis in ipſa.

Mirum videri poteſt Sabellicum hunc virum alioqui & eloquentia in digerẽdis hiſtoriis præclarum & tenaci admodum memoria præditum hac in re oblucinatũ, vt libro 2. octauæ Enneadis hæc ſcripſerit: Quidam & Ioannem Damaſcenum in hæc reponunt tempora, nimirum qua ætate Clodoueus primus regnum tenuit Galliarũ circa annum Domini. 486. quo tempore per Remigium Remenſem antiſtitem, admotus lauacro eſt regenerationis, fidem complexus in Chriſtum. fortaſſe id contigit quòd vulgarẽ de Damaſceno opinionem & Theodoſio legiſſet. Iſtis omnibus reor impoſuiſſe nomen Theodoſii tertii qui dictus eſt Atramitenus quo adhuc ſuperſtite ſed monaſticem complexo ſcriſit Damaſcenus. Quum enim intellexiſſet ille Leonem Iſaurum delectum Imperatorem, pertæſus inteſtinum ac ciuile bellũ, ceſsit imperio ſe addicẽs monaſticæ vitæ trãquillitati, cuius exemplo poſtea prouocatus Ioãnes Cantacuſenus abdicato imperio quod occuparat, monaſticen

ſectatus

ſectatus eſt. Huius extãt (quas nihil inuitus legi) Apologiæ. 4. Græcæ pro Chriſtiana religione & totidem aduerſus Alchoranum. Ex harum lectione deprehendi hoſce libellos & legiſſe exacte & ſolerter eſſe imitatum. Porrò vt quod ſecundum Deum ſentio, ingenuè fatear, eas octo ſcitè quidem & eleganter vertit Rodolphus Gualtherus ſed cuius pęfatio liminaris pugnat ex diametro cum ecclesiæ decreto ſuáque verſione. Siquidem ille prædicat venerandas ſanctorum imagines: hic contrà, quàm improbet, documento eſt epiſtola ipſius. Noſtra igitur hac præmonitione præmunitus in ea legenda & aliis conſimilis farine exhibeto te ſapientem & probum trapezitem. Et de his ſatis ſuperque ſit dixiſſe. Tu interim pie lector noſtram hanc qualencunque lucubrationem ſimul & commonitionem boni conſulito. Bene Vale. E gurguſtiolo cellulæ noſtræ Cartuſiæ Pariſienſis. Anno. 1 5 5 5. 4. Kalendas Aprileis.

IN CÆCOS ICONOMASTIGAS

EPIGRAMMA.

Grandia ſi liceat pictis memorare trophaa
Caſaris, aut Priamo Troica bella duces?
Nónne magis diuûm claros depingere vultus,
Cœleſtis pariter principis arma iuuat?
Illa quid inſimulas petulanti ſplene cachinno?
Nemo deos reputas, ſed ſimulachra deûm.

totius quõdam Græciæ apprimè inſignium, è quorum monumentis ſelegit B. hic Ioannes Damaſcenus ac deſumpſit elogia ſiue teſtimonia tuẽdæ eccleſiaſticæ traditioni de veneratione ſanctarum Imaginum accommoda, quæ quidem τὰς μαρτυρίας vacat ſub finem ſecundi libri, vt ſub finem tertij τὰς χρήσεις.

Hi inducuntur ſub finem primi libri.

S. Dionyſius Areopagita, ex eius epiſtola ad Titũ, ordine Nona.
Ex eiuſdem opere de eccleſiaſtica Hierarchia.
De Abagaro.
Ex Baſilio in Barlaam martyrem. Ex eodem de Spiritu ſancto.
Ex eodem in Gordium martyrem. Ex eodem in eundem ſecũdo & deinceps. Ex Gregorio Nyſſeno, cap. 4. de creatione hominis. cap. item. 5.
Ex eiuſdem ſermone de diuinitate filii & Spiritus ſancti.
Ex Ioan. Chryſoſtomo in epiſtolam ad Hebræos.
Ex Leontio Neapóleos Cypri contra Iudæos.
Ex Seueriano Gabalorum epiſcopo.
Ex vita S. Ioan. Chryſoſtomi.
Ex limonario Sophronij Hieroſolymitani Archiepiſcopi.

Hi inducuntur ſub finem ſecundi.

Dionyſius Areop. ad Titum. Ex eiuſdem opere de diuinis nominibus. Ex eiuſdem eccleſiaſtica Hierarchia.
Ex Baſilio in Barlaam, ex eodẽ de Spiritu ſancto. In Gordium martyrẽ. Ex eodẽ rurſus. Et in 40. martyres. Ex eius fratre, Gregorio Nyſſeno epiſcopo. Ex eodem de creatione hominis cap. 4. & 5. Ex ſermone eiuſdem de diuina maieſtate filij & Spiritus ſancti.
Ex Ioan. Chryſoſt. in epiſtolam ad Hebræos.
Ex Leontio Neapolis Cypri ſermone ſexto contra Iudæos.
Ex Seueriano Gabalorum epiſcopo ex ſermone in Encenia. S. Crucis.
Ex vita S. Ioan. Chryſoſtomi. Ex eo quòd. vnus ſit legiſlator veteris nouíque teſtamenti. Ex enarratione parabolæ Sementis, eiuſdem. In Meletium eiuſdem. eiuſdem in proditionem Iudæ.
Ex S. Ambroſio, Ex maximo philoſopho. Ex Anaſtaſio Antiocheno, Ex Sophroni Limonario.

Hi in medium producuntur ſub finem tertij.

Ex epiſtola. Dioniſij ad Ioannem Euangeliſtam.

Ex eiuſdem opere de eccleſiaſtica Hierarchia.
Ex Baſilio in Barlaam martyrem. Ex eodem in S.40. martyres.
Ex eodem de Spiritu ſancto.
Ex Gregorio Nyſſeno, de diuinitate filij & Spiritu ſancti.
Ex S. Ioan. Chryſoſto. in epiſtolam ad Hebræos.
Ex Seueriano Gabalorum epiſcopo.
Ex vita Ioan. Chryſoſtomi. Ex Theodorito in vitá Simeonis.
Ex Baſilij interpretatione in Eſaiá. Rurſus ex eodem in Eſaiá.
Ex S. Athanaſii capite 38. ad Antiochum.
Ex Ioan. Chriſoſt. in 3. pſalmum.
Ex alloquutorio Cyrilli ad Theodoſiũ. è Theſauris eiuſdem.
Ex eodem opere quòd Chriſti myſterium per Moyſi ſcripturã præſignabatur.
Ex oratione ſecunda Greg. Nazianzeni de filio.
Ex Ioan. Chryſoſt. homilia tertia in epiſtolam ad Colloſſen.
Ex eodem in epiſtolam ad Hebræos.
Ex Euſebij Pamphili libro quinto Euãgelicàrum demonſtrationum.
E chronographia Ioannis Antiocheni de Hæmorrhoũſa.
Ex Euſebij ſeptimo Eccleſiaſticæ hiſtoriæ de eadem.
Ex eiuſdem nono libro in vitam Conſtantini magni.
Ex hiſtoriæ eccleſiaſticæ Socratis libro primo, cap. 18.
Ex Stephano Boſtrenſi aduerſus Iudæos, cap. 4. Ex eodem.
Ex Gregorio Nazianzeno aduerſus Iulianum tranſgreſſorem.
Ex Chryſoſtomi enarratione in Iob.
Ex vita S. Conſtãtini, lib. quarto. Itẽ è tertio. E quarto cap. 69.
Ex opere. 4. cap. 73.
Ex Theodorito Cyri & Polychronio in Ezechielem.
E martyrio ſancti Euſtathij qui & placidas dictus eſt.
E ſancto Leontio Neapolis in inſula Cypri.
E quarto tomo Theodoriti.
E ſancto Anaſtaſio.
E vita S Simeonis mirifici.
Ex homilia. 5. Ioan. Chryſoſt. Scito quia in medio laqueorũ ambulas. Ex eodem ſecundò & tertiò.
Ex Theodorito Cyri epiſcopo de Macedonio Aſianita.
Ex Theodoro Anagnoſte, id eſt lectore.
Ex vita conſtantini, libro tertio, cap. 4.
Ex eccleſiaſtica hiſtoria de conſentientibus Dioſcoro.
Ex eadem de eo qui Macedonio hæretico ſuccesſit.
De Iuliano, Timotheo & Aeluro ex eodem hiſtoria.
Ex Ioan. Chryſoſt. ad S. Phlauianum Antiochiæ. *Phlauianũ Theodoſium.*
Ex eodem & de eodem ad Theophilum magnum imperatorẽ.

Ex eodem de ſancto Phlauiano.
Eiuſdem, quòd vnus legis ſit lator & veteris & nouæ.
Ex Baſilio in laudem quadraginta martyrum.
E Gregorij Nazianzeni poëmatis, interpretatio Damaſceni.
Ex Ioan. Chriſoſt. octauo capite, epiſtolæ ad Timotheum.
Ex alloquutorio ſanctæ ſextæ ſynodi.
E ſeptimo Stromatéon Clementis antiquiſsimi ad Alexandrũ.
E S. Theodoro Pentapóleos epiſcopo.
E ſãcto Athanaſio Alexãdrinò, libro tertio aduerſus Arianos.
Ex eodem ad Antiochum principem.
Ex Ambroſio Mediolanenſi ad Gratianũ imperatorem de incarnata diſpenſatione Dei verbi.
Ex Cyrilli patriarchæ Hieroſolymitani Catecheſi duodecima.
Ex S. Baſilio ad S. Phlauianum de Samaritide.
Ex S. Gregorio Nazianzeno in baptiſma.
Ex S. Ioan. Chryſoſtomo in Machabæos.
Ex * eodem aduerſus Iulianum impium, oratione prima.

** Arbitror ex eodem referri ad Nazianzenum.*

Ex eodem in lauacrum ſiue peluim.
Ex Seueriani Gabalenſis ſermone. 4. in S. Crucem.
Ex chronographia Iſidori Diaconi.
Ex Hieronymo Hieroſolymorum presbytero.
Ex magno Simeone à monte mirabili, de Imaginibus.
Ex Anaſtaſio Antiochiæ Archiepiſcopo ad Simeonẽ epiſcopum Boſtrenſem de ſabbato. Ex eodem ſermone. 3.
Ex ſancta & vniuerſali ſynodo Quinta, Anathematiſmus. 12.
Ex Theodori eccleſiaſtica hiſtoria de Gennadio.
Ex abbate maximo & cæt.
Ex S. Sophronio de miraculis S. martyrum Cyri & Ioannis.
Ex S. Anaſtaſio in nonam Dominicam.
Ex vita Abbatis Danielis de Eulogio latomo.
Ex vita Mariæ Aegyptiacæ.
Ex vita S. Eupraxiæ.
E ſexta Synodo Imperante Iuſtiniano.
Ex. S. Methodio de reſurrectione.

τέλος.

INDEX LOCORVM ET SELEctarum ſententiarum quæ his libris continentur.

a, primam paginam tibi denotat, b, verò, ſecundam.

AD gloriã Dei multa ſecit Salomon ſicuti nos facimus. Folio 23.b

Adhortatio ad traditiones eccleſiæ obſeruandas. 63.b & 64.b

De adorãda cruce, ex annotatione Leontij Neapolis Cypriæ ciuitatis. 22.a

De adoratione, quid ea ſit & de differẽtia eius. 7.b

Adorantur ſancti vt famuli Dei. 61.b

De adoratione, et quid ſit adoratio. 60.a

De adoratione quæ ſit principibus & poteſtatem habentibis. 7.b

Adorationem offerimus his in quibus requieſcit Deus. 61.a

Adorationis modi. 60.a

Adoratio ſecunda debetur amicis Dei, qualis fuit Ieſus filij Naue, & Danielis. 7.b

Ad ornatum templi præcepit Deus multa arte confecta fieri. 9.b & 10.a

Ad publicam vtilitatem, ſalutem & gratiam adinuenta eſt imago. 55.a

Aliud eſt imago, aliud imagine repræſentatur. 54.b

Amici Dei dij nuncupati, non natura ſed adoptione. 61.a & b

Angeli natura oculis non cernitur corporeis. 59.a

Angelus, anima & dæmon nihil poßident corporeum. 57.b

Angelus, anima & dæmon ad Deum collati corporei ſunt: ad hominem incorporei. 58.a

Apoſtolorum vmbra, ſudaria & ſemicinctia morbos depellebãt & dæmones in fugam vertebant. 14.a

Archa & quæ in ea erant, eorum quæ præceſſerant & quæ futura fuerant, erant imagines. 8.a. 10.b

Archa veteris teſtamenti ſanctam ac Deiparam virginem præſignabat. Idẽ virga & vrna. 7.a

Argutiarum pauper D.I. Damaſcenus 2.b

B.

D. Baſilius de agone quadraginta martyrum. 20.b

Beatus athanaſius iußit ſanctorum reliquias humi condere propter Aegyptiorum ritum. 15.a

Benedictũ lignũ per quod fit ſalus. 23.a

Bona & mala in ſacris literis ſcripta ſunt. 51.a

C.

Cherubin aßiſtunt Deo & illi miniſtrãt. 8.a

Chriſtus vnus eſt de ſancta trinitate conſtans duabus naturis, vnica ſubſiſtens perſona 30.a

Chriſtiani pictos colores non adorant, ſed eum quem ipſi referunt. 88.b

Chriſtiani vnum Deum adorant, vnam diuinitatem agnoſcunt. 48.b

Chriſtus panno ſuam expreßit effigiem: 17.a

Chriſti veſtis adoratur, non vt Deus neq; quarta in trinitate perſona, ſed quaſi ſimul deus nuncupata. 3.a

Chriſtiani non cẽſent imagines deos eſſe, ſed ſunt libri aperti vt dei meminerimus, ipſumq; honoremus ob id in eccleſiis exponuntur & coluntur. 24.a

Chriſtum adoramus per crucem 22.a

Chriſtiani qui adhuc non ſunt ſub pedagogo,

dagogo, ſciunt quid per imaginem repræſentetur. 49.b
Chriſtus fabricā eccleſiæ ſuper fundamētum apoſtolorum & prophetarum, ipſo exiſtente lapide angulari, conſtituit. 1.a
S. I. Chryſoſtomus valde D. Pauli epiſtolas diligebat. 68.a
Conqueritur D. I. Damaſcenus, quòd ſuis temporibus in morem vndoſi maris eccleſia agitetur. 1.a
Confundantur qui adorant ſculptilia. 47.b
Communicatio, oratio & pſalmodia omnia duplicia ſunt. 53 b
Cōtēplāda potius eorum fides qui nos inſtruxerūt, quàm ipſi reprehēdentur. 2.a
Corpus & ſanguis Chriſti materia ſalutis. 9.a
Creator creatura factus eſt, vt naturam hominis gloriæ diuinæ conſortem faceret. 3.a
Crucis figuram adoramus. 63.a
Cuius gratia eſt imago. 54.b
Cultus latriæ ſoli deo eſt offerendus. 3.a & 4.a & 5.a.

D.

De differentia imaginum. 55.a
Deipara virgo adoratur vt mater dei, ſancti vero vt amici. 64.a
De imaginibus ex ſermone ſancti Baſilij. 17.a & b
De Maximo philoſopho & confeſſore. 43.b
Dæmonum ac idolorū loco, expreſſæ ſunt Chriſtianorum imagines. 34.b
De ſancta Cruce ex Sermone ſeueriani Gaballorum epiſcopi. 67.a
Deum nemo vidit vnquam. 47.a
Deus in locis ſacris adoratur. 7 b
Deus olim nulla repræſentabatur imagine quia incorporeus erat: vbi vero apparuit corporeus, repræſentatur imagine. 8 b. & 50.a
Deus expers eſt quantitatis, & inuiſibilis. 41.b & 47.a
Deus dedit Iudeis præcepta nō bona propter duritiam eorum. 38.a
Deum adorant creaturæ omnes, tanquā ſerui dominum ſuum. 60.a
Deum per libros & imagines adoramus & contemplamur. 53.a
Deus olim loquutus eſt patribus, nouiſſimè autem in filio. 47.b
Deus primus condidit imaginem imaginesque Demonſtrauit. 40.a
Deus præceperat Iudeis ne facerent ſculptile, velum tamen tabernaculi præcepit fieri. 50.b
Diabolus conatur imagines deſtruere. 45.b
D. Dionyſius Areopag. imagines vocat προορισμοὺς. i. prædeſtinationes. 6.a
D. Dionyſii Areopa. ſentētiæ. 16.a & b
Diuinitatis imago non eſt admittanda, quippe cum illa expers ſit corporis. 34.b
Diuinitas facta nō eſt natura carnis. 48.
Domini exercitus ſancti ſunt. 12 a. 37.b
Duæ naturæ in corpore Chriſti, quarum ſumendo eius corpus participes efficimur. 59.b
Duplicem eſſe adorationem patrum authoritate probatur. 5.b
Duplex baptiſma aqua & ſpiritus. 53.b
Duplici conſtamus natura, anima & corpore, & impoſſibile eſt ſine organo corporali nos ad intellectualium cognitionem prouehi. 53.b

E

Eccleſia adoratione imaginū recipit. 9.a
Eccleſia non exequitur Imperialis edicti formulam. 39.a
E martyrio S. Euſtathij qui & placidas dictus eſt. 74.b & 75.a.b
Eorum imagines, qui virtute & generoſa animi fortitudine excelluerunt in publicum proferimus. 57.a

E ſepti-

E ſeptimo libro eccleſiaſticæ Hierarchiæ Euſebij pamphili. 71.a
Ex alio ſermone S.I.Chryſoſtomi. 82.b
Exēplar & notitia præfinitiones à ſancto Dionyſio nominantur. 56.a
Ex chronographia Ioan. Antiocheni. 70.a
Ex diui Ioannis Chryſoſtomi enarratione in epiſtola ad habreos. 22.a
Ex epiſtola S. Ambroſii. 43.b
Ex hiſtoria eccleſiaſtica ſocratis. 72.a
Ex hiſtoria eccleſiaſtica. 83.a.b
Ex interpretatione S. I.Chryſoſto. 66 b. *Ex eodem.* 69.a & 69.b & 73.a
Ex libro 3. S. Athanaſii Alexandriæ archiepiſcopi aduerſus Arianos. 85.b & 86.a
Exordium operis. 2.b
Ex quinto libro Euſebij. 69.b
Ex ſcriptis S. Athanaſii. 68.b
Ex ſermone.I. Chryſoſtomi in Meletium Antiochiæ epiſcopum ac martyrem. 43.
Ex ſermone. S. Chryſoſtomi in. S. Phlauianū Anthiochiæ Archiepiſcopum. 83.b & 84 a
Ex ſermone beati Athanaſii. 43.b
Ex S.G. Nazjāzeni poëmatibus. 84.b
Ex ſermone S. Gregorij Nazianzeni, 69. b & 72.b
Ex S. Cyrilli ſcriptis. 69.a & b
Ex S. Hieronymo Hieroſolimitanorum presbitero. 88.a.b
Ex ſcriptis Theodoreti Cyrenenſis Epiſcopi. 74.a
Ex ſermone quinto S. Leontij Neapoleos. 75.a.b
Ex S. Baſilij enarratione in Eſaiam. 68.a
Ex ſermone S. Gregorij Nyſeni. 66.a.b
Ex ſermone Seueriani Gaballorum epiſcopi. 24.b
Ex vita S.Conſtantini. 73.a & 74.a
Eximius Baſilius ſcribit dogmata eccleſiæ ab apoſtolis tradita. 14.b
Ex vita S.Simeonis. 81.a

F.

Filius eſt imago patris. 55.b
Filius per omnia ſimilis eſt patri, niſi quòd ingenitus eſt & nomē patris retinet. Ibidem.b
Filius ſunamitis reſuſcitatus. 23.a

G

Genus cum ſimus filij dei non debemus eſtimare auro & argento diuinum eſſe ſimile. 49.b
Gentes ſua idola dæmonibus dicant, nos noſtras imagines Chriſto & ſanctis eius. 15.a
Gentiles ſanguinem copioſum dæmonibus offerebant, Eccleſia verò hoſtiam incruentam. 39.a
S.Gregorius Nyſſes Epiſcopus. 21.a

H.

Heua vindemiauit mortem. 46.a
Hieruſalem ſuperna. 41.b.
Homines diuinæ efficiuntur cōſortes naturæ, quicunque accipiunt ſanctum Chriſti corpus ac bibūt precioſum eius ſanguinem. 59.b
Homo non habet apertam cognitionem rei inuiſibilis. 55.a
Homo mortuus qui Eliſæi oſſa tetigit, reſurrexit. 23.a
Homo loco & tempore circumſcribitur. 55.a
Honor imagini deſtitutus, trāſit ad prototypum, teſte Baſilio planè diuino. 64.b
Honor in ſeruos dei collatus, ſignum eſt beneuolentiæ erga deum. 17.b
Honor imagini exhibitus tranſit ad prototypum, ait Baſilius magnus. 12.b
Hos libros ſcripſit D.I.Damaſcenus non gloriæ ratione ſed veritatis tuendæ. 28.b

I

Iacob virga Ioſeph faſtigium adorauit. 68.b

Idola ad gloriam Diaboli inuenta ſunt, imagines verò ad gloriã Chriſti martyrum ac ſanctorum eius. 78.b

Idolum quid. 78.b

Imagines ſunt viſibilia ſigna res inuiſibiles repræſententia. 6.a

Imagines depicta ſunt ad gloriã & honorem Chriſti ac ſanctorum eius. 35.a

Imagine declaramus eos qui pro Chriſto ſtrenuè ſe geſſerunt.

Imaginis definitio. 5.b.45.b. 54.b

Imago ſignum eſt repertatæ victoriæ. 35.a. & b

Imago Chriſti, repræſẽtat nobis Chriſtũ. Idem de cæteris. 34.b

Imago repræſentatio eſt & cõmemoratio eorum quæ facta ſunt, ſiue honoris ſiue infamiæ. 7.a

Imago eſt ſuggeſtio quædam & reuocatio memoriæ, & eſt illiteratorũ liber. 10.a

Imago inuiſibilis dei non eſt effingenda. 1.a.45.b.52.b

Imago repræſentat cum cuius præfert effigiem. 93.b

Imago deſignat primarium exẽplar & adumbrat. 64.b

Imago S. Theodori icta a ſaraceno, ſanguinem emiſit. 80.b

Impij homines tunicam dei textilem in fruſta, illius verò corpus quod eſt verbũ dei & eccleſiæ traditiones in varias ſectiones dirimere voluerunt. 1.a

Impoſsibile eſt deum aliqua imagine exprimere. 4.b

In eos qui cultores imaginum reprehendunt. 78.a

In ſpeculo & ænigmate nunc videmus. 45.b

In tabernaculo erant candelabra, menſa & propoſitio panum quæ dicebatur ſancta. 4.a

Inter ſenſus locum primum obtinet viſus. 10.a

In varios errores diabolus homines cõiecit. 44.b

In vita S. Baſilij ſcribitur imagines apud patres in vſu eſſe. 67.b

Iubet deus aras, lucos & cætera eiuſmodi qua Iudeos ad idololatriam alliciebant deſtrui. 4.a

Iudei idola pro diis habebant. 32.b

Iudei Aaronem cõpulerunt vt illis vitulum conficeret. 47.a.b

Si Iudei lapides duodecim è medio Iordanis in miraculi memoriam aſſumpſerũt, nõ eſt mirãdum ſi Chriſtiani imagines & chriſti & ſanctorum erexerunt. 10.b

Iudæi dæmonum imagines depinxerunt & illis prociderunt. 45.a

Iuſſu diuino primitias domino Iudæi deferebant. 36.b

L

Lapides duodecim è Iordane ſublati. 57.a

Latriam idolis, Iudæi offerebant. 47.b

Latria ſoli creatori debita. 49 a.51.a

Latria imago futurorum bonorum. 41.b

Latria ſoli deo debita. 45.b.64.a

Latria eſt adoratio prima quam ſoli deo exhibemus. 7.b

Latria trinatati offertur, & quo modo. 48.a

Lex erat adumbratio imaginis. 8.b

Lex pedagogus fuit ad Chriſtum. 49.b

Lex vmbram habebat futurorum bonorum, non ipſam imaginẽ rerum. 41.b

Licet imagine & picturis repreſentare miracula chirſti, & ea quæ pro hominum ſalute ab eo geſtæ ſunt. 5.a

Ligandi & ſoluendi poteſtas data eſt D. Petro. 94.a
Litera occidit, ſpiritus viuificat. 48.a

M

Manichei thomę euangelium compoſuerunt. 38.b
Manicheorum & gentilium hæreſis a Chriſtianis reiecta. 34.a
Materia imaginis non adoratur vt deus, ſed deus ipſe qui pro nobis factus eſt materia. 8.b
Materia crucis & imaginis non veneratur. 40.a
Materia non adoratur ſed opifex. 37.a
Materia per quam data nobis eſt ſalus, collēda. 9.a. de diuerſa materia eodem.
Miracula chriſti licet nobis depingere. 50.a
Moyſes non permiſit filios Iſrael habere imagines, propterea quod ſciret eos ad idololatriam procliues eſſe. 40.b

N

Natura diuina expers forma. 57.b
Natura hominum paulo minuta ab angelorum, quòd obnoxia ſit morti, facta alioqui præſtantior.
Non eſt piorum imperatorum euertere eccleſiæ ſanctiōnes. 27.a
Non facies omnem ſimilitudinem eorum quæcūque in cælo ſunt & quæcunque in terra, qui locus venit intelligēdus: nā litera occidit, ſpiritus autem viuificat. 3.b
Non habemus hic ciuitatem permanentem. 41.b
Non imagine repræſentatur dei diuinitas. 48.

O

Obiectio aduerſariorum vnà cum ſolutione. 46.b
Oſſa Iacob & Ioſeph ex Egipto trāſlata. 22.b

P

Parendum eſt in rebus diuinis iis qui Eccleſiæ præſunt, regibus verò in iis quæ ad ſtatum reipub. conſeruandum cōducunt. 35.b
Patres veterum templa deſtruxerunt & in eorum loco imagines expreſſerunt. 51.b
Patres traditiones quaſdam non ſcriptas eccleſiæ tradiderunt. 14.a
Patres viuos homines adorarunt non tamen vt deum. 22.b
D. Paulus de traditionibus. 14.b
Poſſumus effingere imagines omnium figurarum quas nouimus. 58.a
Per crucem chriſtum adoramus. 77.b
Picturam dilexit D. I. Chryſoſtomus. 42.b
Poteſtas ligandi & ſoluendi non eſt data imperatoribus, ſed apoſtolis & ſucceſſoribus eorum. 27.b
Primus adorationis modus fit per latriā. 60.a
Primus modus accipiendæ imaginis. 55.a
Propter abuſum gentium noſtræ non ſunt reiiciendæ imagines. 15.a

Q

Quæ auditu repræſentat oratio, pictura tacens imitatione oſtendit. 20.a
Quare filij Iſrael nomine hominū nulla excitarunt templa. 34.b & 35.a
Quare vetuit deus populum Iſraeliticū imagines conſtruere. 25.a
Quartus modus, iuxta quem adorantur imagines earum rerum quas prophetæ viderunt. 63.a
quartus adorandi modus. 60.b
Quartus accipiēdæ imaginis modus. 56.a
Qui apud deum ſunt, multam obtinent interpellandi fiduciam. 64.a
Quemadmodum auribus ſpiritualia intelligimus, ita per ſpeculationem ad cōtēplationē ſpirituale pertingimus. 53.b

Quidam inſurrexerunt dicentes nō oportere imagines ad dei gloriā exprimere. 45.a
Quid effigie debet exprimi, quid non & quo modo vnumquodque ſit per picturam exprimendum. 57.b
Quidam obſtare voluerunt ne pingerentur imagines. 30.a
Qui Chriſti matri honorem defert, ipſi Chriſto defert. 24.
Qui Chriſtianum accuſat quòd lignum crucis adoret, debet quoque Iacob accuſare qui virgæ Ioſeph faſtigium adorauit. 77.b
Qui honorat ſanctos, deum quoque honorat. 66.a
Qui imaginem deſtruit, ſe hoſtem Chriſti & vltorem diaboli præbet. 35.a
Qui iurat in imagine, iurat in eum qui exprimitur per imaginem. 40.b. 52.a
Qui non norunt Chriſtum, eius imaginem auerſantur. 93.a
Qui amicum diligit, quæ eius ſunt diligit quoque. 23 b
Qui crucem adorant, Chriſtum crucifixum adorant. 24.a
Qui mortuum olim tangebat, immundus putabatur. 52.a
Qui naturam ligni adorāt, lucos quoque & arbores adorare debent. 24.a
Quintus adorationis modus tripliciter diuiditur. 61.a
Quintus modus quo adoramus nos inuicem. 63.a
Quintus ſumendæ imaginis modus. 56.b
Qui per apoſtolos depoſcunt, conſequūtur morborum medelam. 62.a
Qui primus omniū imaginem fecit. 58.b
Qui ſanctos fide adeunt accipiunt poſtulationes. 62.a
Qui proponit ſibi bonū, deus in illo cooperatur. 61.b
Qui regis imaginem euertit, perinde eſt ac ſi in regē molitus ſit cōtumeliā. 42.b
Quot in ſcriptura deprehēdimus quæ adorationem excipiant, quot item modis adhibemus creaturæ venerationem. 61.a
Quòd talentum à domino acceperat D.I. Damaſcenus apud nummularios appoſuit. 28.b

R.

Rubus quē vidit Moyſes, imago erat matris dei. 40.a.& b
Rubus & pluuia in vellus virginem & deiparā delineabant affuturam. 56.b

S

Salomon inſculpere fecit duo cherubin, Boues & Leones in domo dei. 12.a
Sanctorum memoria fit præter legem & iuſſu apoſtolorum & patrum. 13.a
Sancta trinitas exprimitur aſſimilatione ſolis, luminis & radij: ſeu fontis proſilientis aquarum ſcatebras. 6.b
Saul, Iezabel & Herodes grauiſſimis ſupplicijs affecti ſunt, quòd dei famulos ſunt perſecuti. 36.
Scoliū I. Damaſceni & ex ſermone ſancti Baſilij. 65.b. *Ex ſermone eiuſdem in ſanctos quadraginta martyres.* 66.a. *ex eodem eontinenter.*
Scolium ex diuo Baſilio. 20.b
Secūdus modus creaturas ad vnam adoramus, per quas & in quibus deus operatus eſt ſalutem noſtram. 62.a
Secundus adorandi modus. 60.
Secundus modus ſumendæ imaginis. 55.b
Sententiæ Habacud & Ezechielis aduerſus eos qui imminētibus eccleſiæ falſis prophetis non occurrunt. 1.b
Septimus modus adorandi. 63.b
Serpens in deſerto euectus. 23.a
Sextus modus accipiēdæ imaginis. 57.a
Sextus modus, adoramus eos qui principatum tenent. 63.a
Si expreſſas imagines cēſeremus deos eſſe

ipmiē ageremus. 30.b
Si homines regibus & illorum ſeruis venerationem exhibent, eámque diuino præcepto: multo magis eam deo ac ſeruis eius præſtare debemus. 64.a
Si quis euangeliz. et præter id quod accepit catholica eccleſia & præter traditiones ſanctorum apoſtolorum patrum & ſynodorum, ne audieritis eum. 31.a. & 46.a
Si quis iuberet inuiſibilis dei imaginem depingere, peccaret. 30.b
Spiritus ſanctus differt a filio, quòd procedat, filius vero ſit genitus & nō procedens. 55.b
Stephani Boſtreni aduerſus Iudeos. 72.a
T.
Templa ſumus dei. 61.b
Templum & populus olim aſperſione ſanguinis & vaccæ cinere iuſtificabantur: Chriſtiani nunc ſanguine Chriſti expiantur. 12.a
Teſtimonia S. Dionyſii Athenarū Epiſcopi ad D. I. Apoſtolum & Theologum. 65.a
Teſtimonia veterum & probatorū ſanctorū patrū de imaginibus. 41. b & 42.a
Tertius modus, ſecundum quem deo quæ dicata ſunt, adoramus. 62.b
Tertius adorandi modus. 60.b
Tertius, accipiēdæ imaginis modus. 56.a
Theodorus hæreticus. 82.a
Trinitatis nomen in veteri teſtamēto neque in nouo perſpicuè eſt aſcriptū, Anathema tamen eſt qui illud negat. 52.b
V.
Valens imperator Chriſtianus nomine tenus. 38.b
Varia exampla de vſu imaginum. 25 & 26.
Vaſa Deo dicata, adoranda. 63.a
Veſtis domini adoratur, non vt veſtis neque vt quarta in trinitate perſona, ſed vt nuncupata Deus, quam plenitudo gratiæ inuertibiliter perunxit. 48.a
Videmus in ſpeculo, in enigmate & in imagine. 40.a
Virga Aaron præſignabat miſteriū virginis. 63.a
Vna hyrundo non facit ver. 16.b
Vnicè epiſtolas S. Pauli diligebat D. I. Chryſoſtomus. 25.b
Vnius ſpiritus ſancti participes fuerunt ſancti omnes. 39.b
Vt lucerna noctis tempore accenditur & vſque ad Deum tamen lucet, ſic lex vſque ad gratiam. 13.b
Vt medicus perſonarum circunſtantias & qualitates ſtudioſè conſiderat, ſic Dominus Deus. 32.a. 46.b

FINIS.

נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ׃

Cap. 1. Geneſ.

ὡς γάρ φησιν ὁ θεηγόρος καὶ πολὺς τὰ θεῖα βασίλειος, ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει.

Ioannes Damaſcenus, cap. 17. lib. 4. τῆς ἐκδόσεως ὀρθοδόξου πίστεως, ſubinde locum repetit in hoc opere.



ὥσπερ τῷ πυρὶ, αὐτομάτως ἕπεται τὸ φωτίζειν, καὶ τῷ μύρῳ τὸ εὐωδιάζειν: οὕτω καὶ ταῖς ἀγαθαῖς πράξεσιν, ἀναγκαίως ἀκολουθεῖ τὸ ὠφέλιμον. Baſilius.
τοῦτο δ' ἐστὶν ἀρετὴ, ἔκκλισις ἀπὸ κακοῦ, καὶ ποίησις ἀγαθοῦ. Baſilius.
πάντα ματαιότης τὰ ἀνθρώπινα. Ioan. hic Damaſcenus.

σὺ δ' ἐμοὶ οὕτω τοὺς ὑβρίζοντας ἡμᾶς δάκνειν ἐάσθην, ὡς τὸ πῦς ὑβριζομένους ἡμᾶς, τῶν ὕβρεων καταγελᾶν. Ioan. Chryſ. homil. β. in epiſtol. ad Romanos.

Ama ſcientiam ſcripturarum, & vitia carnis non amabis. Hieronymus ad Ruſticum monachum.

Sancti Ioannis Damaſceni Liber *APOLOGETICVS AD-uerſus eos,qui venerationem ſanctarum imaginum ſugillant & criminantur,Godefrido Tilmanno Cartuſiæ Pariſienſis monacho,interprete.*

OPortuerat quidem nos ſemper, vtpote conſcios propriæ indignitatis,ſilentium agere,& Deo offerre confeſsionem eorũ quæ iniquè geſsimus. Cæterum id obſeruandum fuit,quo tempore feliciter ſuccedebant omnia. Nunc verò quũ contempler eccleſiam (cuius fabricam collocauit Deus ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum, ipſo exiſtente ſummo lapide angulari, Chriſto filio eius) iactari inſtar vndoſi maris, fluctibus aliis ſuper alios intumeſcentis, confuſionéque ac turbelis agitari per infenſiſsimam impreſſionem malignorũ ſpirituum. Sed & tunicam Chriſti deſuper textilem, in fruſta conſcindi, quam impij illi ſua temeritate diuidere tentauerunt. Corpus inſuper eius in diuerſas ſectiones diſſectum eſt,quod eſt verbum Dei, & eccleſiæ traditio,quæ iã inde ab initio auctoritatẽ obtinuit. Denique mecum reputaui mi- *Propoſitio operis.*

nùs eſſe rationi cõſentaneum, cõticeſcere & vinculo ſilentij innectere linguam, quippe qui ſententiam illam minas graues intendentem ſuſpe-
Haba.2.4 ctam habeam, quæ dicit: Si ſubtraxerit ſe, non
Ezec.33. bene placebit in eo anima mea. Et, Si videris frameam venientem, & non annunciaueris fratri tuo: ex te requiram ſanguinem ipſius. Timo-
** Leonem Iſaurum iconomachum intelligit.* re igitur perculſus intolerabili huc veni vt dicerem, nequaquam* imperialis magnificentiæ celſitudinem anteponens veritati. Intenta enim
Pſal.118. aure percepi quid Dauid Dei-pater dicat: Loquebar in teſtimoniis tuis in conſpectu regum, & non confundebar. Quare ſum eò propenſior ad dicendum. Regis enim ſententia vehemens quiddam habet & ſufficiens ad pelliciendum ſubditos in fraudem. Sunt enim in raro admodum numero (quanticunque fuerint à primordiali regum inſtitutione) qui regum placita per contemptum neglexerint. Quanti iampridem imperatorem in terra regnantem, etiam intelligunt, quia leges regibus quoque ſuperiores ſunt? Enimuerò primùm omnium, quaſi nauis carinam aut fundamẽtum fixiùs præſtituens & multa cum conſyderatione eccleſiaſticæ legiſlationis conſeruationem ſcilicet, (per quam
**βαλβίδα ἀνέῳξα. Aſimili.* ſalus nobis conciliari conſueuit.) libri huius repagulum* recluſi, & eum perinde ac equum cicuratum freni tolerantia è curſoriis carceribus cõcitaui. Prorſus enim graue eſſe putaui, immo
moleſtia

moleſtia omni ſuperius: eccleſiam, quum tam multis & inſignibus ſplendeſcat prærogatiuis & traditionibus exornetur virorum cumprimis religione venerabilium abuſque initio, demum reuerti ad egena elementa, timore exterritam, vbi non eſt timor: & quaſi prorſus non cognouiſſet Deum, ad lapſum idololatriæ perperam reſpicere, & perinde atque à ſua perfectione defecerit eccleſia in minutiſſima quauis re, quaſi ſi næuum ſeu punctum quoddam ferat medio adhæreſcens perquàm formoſæ faciei, citra licet dimenſionem eius peruerſionis totum vultus ſplendorem ac decus corrumpens. Non enim quod in ſpeciem paruum eſt, eſt parui momenti, quum in magnum quiddam erumpat, vtpote quum nulla cenſenda ſit parua ſcribendi corruptela quæ nata ſit euertere traditionem eccleſiæ initio ſtatim corroboratam, quaſi qui nos priùs inſtruxerunt, reprehēdendi veniant, quorum conuerſationem contemplantes, oportebat imitari fidem.*Itaque obſecro primum quidem omnipotentem Dominum, cui nuda & aperta ſunt omnia, ad cuius laudem liber hic, vt qui humilis meæ voluntatis integritatem, ſimul & ſynceritatem intentionis planè nouit, vt mihi det ſermonem in apertione oris mei, ſenſúſque mei habenas in fide recipiat ac moderetur ſuis manibus, proinde & libellum hunc ad ſuam vnius gloriam perducat in conſpectu ſuo, ínque

*Inuocatio.

Ad Heb. 4.

rectum callem me impellat, nõ ad ea declinantem, quæ in ſpeciem videntur dextera, aut ſiniſtra eſſe deprehenduntur. Secundum * hunc, deprecor & vniuerſum Dei populum, gentem ſanctam, regale ſacerdotium, vnà cum bono paſtore rationalis gregis Chriſti, qui in ſeipſo ſummũ Chriſti pontificium præfert & exprimit, vt meum hunc libellum beneuolè excipiatis, non mihi animum intendentes, qui ſum merito ac dignitate minimus, nec à me requiratis ſermonum verſatiles argutias, quarũ pauper ego ſum & omnino imperitus, quin potius ſedulò perpendite efficacem ſententiarum vim. Non enim in ſermone eſt regnum cœlorum, ſed in virtute. Non enim intentio mihi eſt, vt victoriam reportem, ſed vt manum exporrigam adiutricem oppugnatæ veritati, propoſito ſuggerente manum virtutis. Ope igitur implorata à ſubſtantiali veritate, exordium hinc ſumam noſtri ſermonis.

** hunc nẽpe Deum.*

Exordiũ ſiue Aggreſſio operis.

Noui eum qui dixit nihil mentitus, Dominus Deus tuus, Dominus vnus eſt. Dominum Deum tuum adorabis: & ei ſoli ſeruies. Et, Non erunt tibi dij alij. Et, Non facies ſculptilem omnem ſimilitudinem eorum, quæcunque in cœlo ſunt ſurſum, & quæcunque in terra deorſum. Et, Confundantur omnes qui adorant ſculptilia. Et, Dij qui cœlum & terram non fecerunt, diſpereant. Sed & quæcunque ſimilem in modum olim loquutus eſt Deus patribus in prophetis, nouiſſimis

Exod. 20.

Ad Heb. 1.

mis hiſce diebus loquutus eſt nobis in vnigenito filio ſuo, per quem fecit & ſecula. Planè eum noui qui dixit, Hæc autem eſt vita æterna, vt *Ioan.17.* cognoſcãt te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Credo in vnum Deum, vnum omnium principium, principij omnis expertem, increatum, nullo intercipiendum interitu, immortalem, æternum & ſempiternum, incomprehẽſibilem, incorporeum, inuiſibilem, incircunſcriptum, nulla explicabilem figuratione, vnam ſuperſubſtantialem eſſentiam: numen his qui falſò dicuntur dij, ſupereminens: & tribus ſubſiſtens perſonis, Patre & Filio & Spiritu Sancto, cui ſoli ſeruio, cui etiam ſoli offero venerabilem cultum latriæ. Deo quidem vni venerabundus prócido, vni diuinæ maieſtati: ſed idem ſeruio trinitati perſonarum, Deo Patri, & Deo Filio incarnato, & Deo Spiritui Sancto, vni Deo. Præter creatorem * non adoro creaturam. Alioqui creatorem adoro, qui pro me creatura eſt factus, qui & nihil abiectè ac citra vllam ſuæ diuinitatis imminutionem ad creaturam aſſumendam ſe demiſit, vt conditionem meæ naturæ glorioſiorem redderet, eámque efficeret diuinæ conſortem naturæ. Cum hoc rege ac Deo etiam adoro venerabũdus purpuream veſtem aſſumpti corporis, non quaſi veſtem, neque vt quartã perſonam (Abſit hoc) ſed quaſi ſimul Deum nuncupatam, ídque effectam quod

** Adoratione latriæ.*

ipſam immutabiliter ſancto chriſmate delibuit & perunxit. Non enim diuinitas natura ipſa effecta eſt carnis: ſed quemadmodum Verbum factum eſt caro inuariabiliter, manens quod erat, ita & caro facta eſt verbum, nihil deperdens eius quod eſt, ſibi tamen propriè magis vendicãs quod iuxta hypoſtaſin pertinet ad Verbum. Quamobrem maiore cum fiducia Deum alioqui inuiſibilem per imaginem ex primo, non vt inuiſibilem, ſed vt noſtri cauſa factum viſibilem participatione carnis & ſanguinis. Nulla alioqui imagine inuiſibilem Dei maieſtatẽ effingo: ſed per imaginem ex primo carnẽ à Deo aſſumptam & tunc oculis cõtrectatam. Si enim nemo vllis lineamentis repreſentauerit animã, quantò magis nec Deum qui animæ contulit, expers vt eſſet materiæ omnis? Cæterum vnus aliquis obiecerit: Per Moſen ſuæ legis latorem dixit Deus, Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi ſoli ſeruies. Et, Non facies omnem ſimilitudinem eorum quæcunque in cœlo ſunt, & quæcunque in terra. Prorſus fratres, iſti in errorem tranſuerſi abeunt, qui quum mentem ſcripturarum ignorent, non intelligunt, quia litera eſt quæ occídít, ſpiritus autem viuificat. Non enim hi ſedulò ſcrutantur medullã ſpiritus ſub cortice literæ deliteſcentem, quibus meritò reſpõderim: Qui vos hoc edocuit, diſcat & quod ſequitur. Diſce inquam, quánam verborum formula

Argumẽtum à ſimili.

Exod.20.

interpre-

interpretetur legiſlator quod ad hunc ferè modum dicit in Deuteronomio, Et lequutus eſt Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum vos audiſtis, & ſimilitudinem non vidiſtis, præter vocem. Et poſt pauca, Et cuſtodite valde animas veſtras, quia ſimilitudinẽ nõ vidiſtis in die, qua loquutus eſt Dominus ad vos in monte Horeb de medio ignis, ne fortè * legem præuaricaremini & faceretis vobiſipſis ſculptam ſimilitudinẽ, omnẽ imaginem, ſimilitudinẽ maſculi aut fœminæ, ſimilitudinem omnis iumenti aut pecudis, eorũ quæ ſunt ſuper terrã, ſimilitudinẽ omnis auis pẽnatæ, & quæ ſequũtur. Poſt pauca, Et ne fortè quum ſuſpexeris in cœlũ, & videris Solem & lunam & ſtellas, & omnem ornatum cœli, errore deceptus adores ea & colas ea. Vides, vt vna ſit mens & intẽtio, nimirum vt ne latriæ cultũ vlli adhibeas creaturæ præter creatorem: neque offeras venerationem latriæ, præterquam ſoli rerum opifici, quamobrem vbique adorationi connectit latriæ culturam. Rurſus enim ait: Non erunt tibi dij alij, præter me. Non facies tibiipſi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, neque adorabis ea. Nunquam offeres eis cultum latriæ, quia ego ſum Dominus Deus veſter. Rurſus, Aras eorum deſtruite, columnas eorum conterite, lucos eorum ſuccidite, & ſculptilia Deorum ipſorum comburite igni, Non adorabitis Deum alienum. Poſt aliquam pauca,

Deut. 4.

* ἀνομήσητε.

Et

Et deos conflatiles non facies tibiipſi. Vides, quantopere nobis interdicat pictura & imaginũ delineatione, vitandæ idololatriæ gratia, tũ quia impoſſibile eſt exprimere vlla imagine Deũ, quippe qui à dimenſione quantitatis prorſus abhorret, incircunſcriptus quum ſit & inuiſibilis teſte eadem ſcriptura: Non enim ſpeciem
Deut. 4. eius vidiſtis. Quemadmodũ & Paulus in medio
Act. 17. f ſtãs Ariopagi ait, Genus ergo quum ſimus Dei, non debemus exiſtimare auro, aut argento, aut lapidi, ſculpturæ artis & cogitationis hominis diuinum illud eſſe ſimile. Sanè Iudæis, quòd ad idololatriam toti propendérent, legis ſanctione interdicta ſunt hæc: nobis verò quorum intereſt de diuinis diſſerere, quibus datum eſt, vt vitato errore ſuperſtitionis, ſynceris animis cum Deo conuerſemur (nimirum agnita nobis & perſpecta veritate:) ipſiſque Deo ſoli latriam exhibemus, proinde quò perfectionẽ diuinæ cognitionis aſſequamur tantò cumulatiorem, vt & ſuppreſsis iuuenilibus deſyderiis occurramus in virum perfectum, nec iam ſimus ſub pædagogo, accepta à Deo familiari habitudine diſcretionis, ſcientes quid ſit quod imagine exprimitur, quid è diuerſo nulla circunſcribi poteſt imagine. Ait enim: Non ſpeciem eius vidiſtis. Papæ, quanta excelluit ſapientia legiſlator hic? Quod inuiſibile eſt, quánam exprimetur imagine? Quod incõparabile eſt, cui comparabitur? Quónam

nam penicillo pictoris deſcribetur, quod totius quãtitatis & molis ſiue magnitudinis expers eſt, nec vllo concluditur fine? Quo pacto quod nullã recipit ſpeciẽ, dicetur quale ſit? Quo repreſentabitur colore, quod incorporeũ eſt? Quid ergo nobis per hoc myſticè ſignificatur? Perſpicuum vtique eſt, quia quũ videris ſuapte natura incorporeũ tui gratia factũ eſſe hominẽ, tũc humanæ formæ exprimes effigiem. Quũ is qui inuiſiblis erat, viſibilis factus eſt aſſumptione carnis: tunc ipſius facti viſibilis exprimes ſimilitudinẽ. Quũ incorporeus, nec vlla effigie circũſcriptus expers quoque & quãtitatis & qualitatis, ac magnitudine quauis ſuperior propter præcellentẽ prærogatiuã ſuæ ipſius naturæ, is quũ in forma Dei exiſtens, aſſumpta ſerui forma, voluit ſic cõtrahi intra limites moderatæ quãtitatis & qualitatis, formáque ſibi induit corporis, deinceps tu eam formam inſcribe tabellis, & transfer ad eius cõtemplationem qui ſuſtinuit fieri viſibilis. Inexplicabilem huius demiſsionẽ erga nos depinge, eius ex virgine generationem, in Iordane baptiſationem, in monte Thabor tranfigurationem, paſſiones ipſas impatibilitatis conciliatrices, mortem, ſtupenda eius miracula, diuinæ eius naturæ radiantia ſigna quæ operatione quidem carnis, diuina autem efficacia & actione perfecta ſunt, ſalutiferam crucem, ſepulchrum, reſurrectionẽ, aſcenſionẽ ad cælos, denique omnia deſcribito,

b tum

tum ſermone,tum coloribus pictoriis.Nihil ve-
חמור Lutum, aſinus. Gene. 23.b. reare,ne timeas.Planè noui differentiam multi-
modę adorationis.Adorauit aliquando Abrahã
filios Hæmor, quando in poſſeſsionẽ ſepulchri
ſpeluncã duplicem emit, viros vtique adorauit
planè impios & qui ne Deum quidem agnoſce-
Gene. 33. rent.Adorauit & Iacob vterinum fratrem Eſau,
Gene. 47. Pharaonem inſuper virum ægyptium. Atqui is
ſuper ſummitatem virgæ procidit,non item ex-
Ioſue. 5. hibuit latriã.Angelo Dei & Ieſus Naue filius &
Dani. 10. Daniel prociderunt,nõ etiam obtulerunt latriã.
Aliud enim eſt per latriam exhibita veneratio,
aliud & eſt adoratio quæ his offertur honoris
gratia,qui præeminent quapiam excellenti di-
gnitate. Sed enim quũ ſermo cœptus mihi ſit de
imagine & adoratione, agedũ cœptum ſermo-
Imaginis finitio. nem decenti ordine diſtinguamus.Sanè Imago
aſſimilatio eſt habitũ & figurã exprimens ſui*
πρωτότυπον exemplar. prototypi,cum hoc quod ab eo nõnihil diſtin-
guitur. Imago enim nõ omni ex parte, ſuo aſſi-
milatur archetypo.Imago vtique viuẽs, natura-
lis, pérque omnia inuiſibili Deo aſſimilis filius
eſt,totũ in ſeipſo circunferens patrẽ,& per om-
nia eandem retinens ad ipſum conformitatem.
τῷ αἰτία τῷ. Solo differt * cauſato. Pater ſiquidem naturalis
eſt cauſa, filius autem cauſatum. Non enim Pa-
ter à filio,ſed filius ex patre genitus eſt.Ex Patre
enim (licet non ſit eo poſterior) habet, vt ſit
quod eſt qui eum genuit,Pater. Sunt proinde &
in

in Deo imagines rerúmque ab ipſo producendarum ſimilitudines, hoc eſt, conſilium ipſius quod ante ſeculorum conſtitutionem ac ſemper conformiter ſe & eodem modo habet. Per omnia enim inuertibile eſt numen, nec eſt in ipſo vlla rerũ viciſſitudo mutabilis, aut viciſſitudinis obumbratio. Imagines eiuſmodi ac ſimilitudines ſanctus ille Dionyſius diuinorum eruditiſsimus vocat προορισμὺς prædeſtinationes ſiue præfinitiones, Deo bene iuuante quæ de Deo ſunt, ſolerter admodum contemplatus. In Dei enim conſilio præſignata erant omnia quæ ab ipſo ſunt præfinita, & citra vllã demutationem quæ erant futura, ante ſuam quæque generationem, perinde atque ſiquis exædificare velit domum, imaginatur primùm & velut imaginẽ in arcano mentis receſſu reuoluit figuram & deſcriptionem futuræ domus. Ad hæc, Imagines rurſus ſunt velut viſibilia quædam, res inuiſibiles repreſentantia quæ & res minimè figuratas corporali ſpecie ac figura informant, per animi conceptionem ſuboſcuram & tenuem. Etenim diuina ſcriptura Deo & aſigelis adumbrationes formarum accommodat. Cauſam reddit & edocet eximius ille * vir, Nam quòd decẽter figuræ attributæ ſunt his quæ expertia ſunt figurarum, & aſſignatæ formæ ijs quæ nullam recipiunt formam, non modò cauſam hanc eſſe quis dixerit, quia congrua proportio humani intellectus ni-

Areopagitã haud dubiẽ intelligit.

** Dionyſ. Areopa.*

ſi intermedio quopiam interueniente ſe nequit extendere ad intellectualium contemplationẽ: ſed illi opus eſt myſtica inſtitutione per ea quæ ſuæ naturæ familiaria ſunt & congenera. Quia igitur ſcriptura diuina noſtræ præſcia capacitatis, vndequaque nobis ea ſubminiſtrat ac parat, quibus noſter intellectus fiat capacior ſeque excitet, figuras quaſdam attribuens his quæ per ſe ſimplicia ſunt, nec vllam admittunt figurationem. Quídni per imaginẽ aut formam ſiue habitum informata ea exprimat, ſecundum conuenientem cuíque naturam. Et quidem deſiderantur, non item videri poſſunt, quod abſint. Per ſenſum enim, ſpecies & imaginatio quædã eorum quæ animo inſident, concreſcit & colligitur in alueolo cerebri, ſicque tranſmittitur ad vim diſcretiuam rerũ, & in memoriæ theſauro reconditur. Ait ſiquidem diuiniloquus ille Gregorius, quia mens quum anxiè laborat ac præter modũ occupatur, prorſus nequit corporalia iſta trãſcendere. Sed enim inuiſibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciũtur. In creaturis enim videmus imagines quæ obſcurè licet, nobis denuntiant diuinarum rerum repreſentationes, veluti quando dicimus ſanctam trinitatem ſuperiorem cõditione omnis creaturæ exprimi aſſimilatione Solis, luminis, ac radij: aut fontis in ſcatebras aquarum proſilientis & ſe latiſsimè effundentis fluenti ac oſtiorum

Nazãzenũ innuit.

Ad Rom. 1.c.

S. Trinitatis aſsimilationes.

ſtiorum è quibus in mare redundant flumina, ſéque effundunt:aut mētis,ſermonis item,& ſpiritus noſtri:aut roſæ plantæ quidem,floris & ex-ipſo odoris ſuauè fragrantis. Imago rurſus dicitur, quæ ſub tectorio ænigmatici ſermonis & vmbratili pictura deſcribit quiduis eorum quæ euentura ſunt,veluti arca illa teſtamenti ſanctā Virginem & Deiparā præſignabat, virga item Aaronica,vrna rurſus. Et ſicut * ſerpens qui per crucem morſum homini impreſſum à ſerpente malitiæ omnis principe & origine aboleuit. Quemadmodū etiam mare,aqua & nubes Spiritū ſanctum in Chriſti baptiſmate apparentem innuebant. Ad hæc,Imago eorum repręſentatio quę facta ſunt, ſiue per commemorationem rei alicuius ſtupendę & admirabilis. puta honoris, aut infamię, virtutis aut malitię, ad eorum ſequuturam vtilitatem quæ quis videt & in imagine contemplatur, vt per hanc animaduerſionem mala quidem defugiamus,virtutum autem opera ęmulemur & deamemus. Eiuſmodi autē imago duplex eſt. Eius quę libris inſcribitur per ſermonem: vt eſt, quòd Deus tabulis inſculpſit legem,idémque iuſſit vitas virorum Dei amantium in literas tranſmitti ac prodi. & per ſenſibilem viſionem,quemadmodum eſt quòd vrnā, & * virgam in arca reponi mandauit,ad perenne monimentum. Nec ſecus etiam nunc virtutes eorū qui antegreſſi ſunt nos, delineatione ima-

* *Chriſtus nimirum.*

* *Aaronis.*

ginum depingimus. Aut igitur auferto imaginem omnem & legem ſancito cùm eo pugnantem qui eas deſcribi iuſsit. Aut certè ſingulas quaſque excipito iuxta rationẽ ac modum cuique earum congruentem. Quum igitur abunde dixerimus de modis quibus accipitur imago, reliquum eſt, vt nonnihil & diſſeramus de adoratione. Adoratio ſubmiſſionis & honoris eſt ſignum. Adorationis modos planè nouimus eſſe differentes. Omnium prima eſt Adoratio quam ſoli Deo ſuapte natura adorando exhibemus, per latriam. Proximo ordine ſequitur, quam offerimus amicis ac famulis Dei qui ſuapte natura ſolus venit adorandus, quemadmodum Ioſue filius Naue & Daniel angelum adorarunt. Aut ea quæ locis Deo conſecratis debetur, Vt quum ait Dauid, Adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius. Debetur & donariis Deo dicatis, vt omnis Iſraël procidebat tabernaculo, ſtantes in circuitu templi quod eſt in Hieruſalem & ad ipſum omni ex parte reſpicientes vſque in hodiernum diem adorant. His etiamnum exhibetur qui à Deo deſignati ſunt principes, vt Iacob fratri ſuo Eſau tanquam Dei conſtitutione primogenito, & Pharaoni Dei creatione deſignato principi. Quin & ipſi Ioſeph fratres eius prociderũt. Noui equidẽ quid adorationis ſibi inuicem exhibuerint, honoris gratia, vt Abrahã filiis Hemor. Aut igitur omnem aufer ſpeciem adorationis,

Adorationis finitio & modi. *Latria prima.* *Ioſue. 5.* *Dani. 10* *Pſal. 131.* *Gene. 33.* *Gene. 47.* *Gene. 42.* *Gene. 23.*

aut

aut omnes admittito cũ debita ratione ac modo. Percunctanti mihi reſponde, Deus ne vnus? Deus certè, inquies, vti exiſtimo, vnus & qui ſanxit legẽ. Quid igitur is lege ſancit ſecũ pugnãtia? Non enim Cherubini illi ſpiritus alieni à creatura ſunt. Quare ergo is imperat Cherubin ma- *Exo.* 25.
nibus hominũ inſculptos inferri, vt obumbrẽt propitiatoriũ? An nõ perſpicuũ euadit impoſſibile eſſe, vt quis imaginẽ depingat Dei, qui nullo circunſcribi poteſt loco, nulla exprimi ſimilitudine, quæ quemuis tandem quaſi Deum ipſum repræſentet: vt ne creatura pro Deo, cultu latriæ adoretur? Iubet autem, vt exſculpant ſimilitudi- *Exo.* 37.
nem Cherubin, (quippe qui naturæ ſunt circunſcriptę & Dei throno adſiſtẽtes decẽter adminiſtrãt.) vt pro decoro obũbrẽt propiciatoriũ. Cõueniebat enim, vt imago miniſtrorum cœleſtiũ imaginem ſacramentorum diuinorum obumbraret. Quid autem dicis arcam illam, vrnam, propiciatorium non manibus eſſe affabrè confecta? non eſſe opera manuum hominum? Non, vti cenſes, ex ignominioſa & aſpernabili materia exſculta ſunt? Quid autem tabernaculum illud omne? Nónne imago erat? Nónne vmbra & exemplar? Quapropter diuinus ille ait apoſto- *Heb.* 8.
lus, de ſacerdotibus legis antiquæ differens, qui quidem deſeruiunt exemplari & vmbræ cœleſtium, quemadmodum reſponſo diuino inſtructus Moyſes, vt perficeret tabernaculum. Dicit *Exo.* 25.
enim

enim: Vide vt facias omnia ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt. Atqui lex non vtique erat imago, ſed adumbratio imaginis.

Hebr. 10. Siquidem Apoſtolus dicit: Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, nō ipſam imaginem rerum. Si igitur picturis imaginū interdicit lex, ipſa autem adumbratio quædam eſt & præfiguratio imaginis, quid dicemus? Si tabernaculum vmbra, & figuræ figura, qua tandem ratione lex iubet exprimi imagines? Atqui non ita ſe hæc habent, non inquam, ita. Vnicuique enim rei gerendæ ſuus eſt articulus temporis. Olim quidē Deus nulla prorſus figurabatur imagine, quippe incorporeus, nec vllius capax formæ: nunc verò quum viſus ſit in carne Deus & cum hominibus conuerſatus, imaginem exprimo Dei, qua parte conſpicuus eſt ac videtur. Non ipſam adoro materiam, vt Deum, ſed materiæ opifici venerabundus prócido qui pro me factus eſt materia & in materia ſuſtinuit habitare per eam materiam ſalutem meam operatus. Proinde à cultura eius materiæ non deſinā, per quam ſalus mea confecta eſt. Adoro autem eam, non vt Deum. Abſit hoc. Quo enim pacto Deus ſit, quod ſuam ſortitum eſt originem ex nō exiſtentibus. Quòd ſi Dei corpus eſt Deus, hoc vtique propter vnionem relatam ad perſonam

Cōtra Apolinariū. Dei verbi quæ gratia perunxit aſſumptum corpus citra vicariam vllam permutationem, manens

nens quod ſuapte natura erat, nempe caro animata anima rationali ac mente prædita, quæ & originē ſortita eſt, non itē increata eſt. * Reſiduam materiam colo & reuereor, per quam parata mihi eſt ſalus, quippe quā adimpleuit efficacia admirabili & gratia. An non materia erat lignum illud ſanctæ Crucis ter prædicādum fœlix, térque beatū? An non materia erat mons ille venerabilis ac ſanctus, qui & Caluariæ locus? An nō materia erat vitam adferens & viuificans petra, ſepulchrum ſanctū, fons noſtræ reſurrectionis? An non materia atramentum quo conſcriptus eſt ſanctiſsimus Euangeliorū liber? An non materia menſa vitalis quæ nobis ſubminiſtrat panem vitæ? An nō materia aurum & argentū, quibus conficiuntur cruces, lances (quas vulgus patenas vocat) & calices? Quinetiam præ his omnibus, an nō materia, Domini noſtri corpus & ſanguis? Aut horum omnium è medio tolle venerabilem culturam & adorationem, aut locum cede eccleſiaſticę traditioni, nobiſcum recipiēs adorationem imaginum Dei & eius amicorum qui ſanctorum nomine celebrantur, & quia diuini Spiritus gratia, quaſi vmbratili tectorio circunfunduntur. Nihil materiæ ipſi detrahito. Nō enim indecora eſt aut aſpernabilis. Nihil enim eorum quæ à Deo facta ſunt, infame eſt. Manichæorū enim ſuperciliosām & inſipidam intelligentiā præ ſe fert talis opinio. So-

* λοιπὴν ὕλην.

 lum

lum autem exprobrabile eſt, quod à Deo ſuã nõ accepit originem:ſed ex noſtra pendet adinuentione, nimirum propendente & eò deuergente impetu voluntatis per libertatem arbitrii ſecũdum naturam ad id quod eſt præter naturã, hoc eſt peccatum. Si quidem imagines traducis propter antiquæ legis ſanctionem, & quòd ſint ex materia qualicunque deſcriptæ, earum adoratione interdicis, vide quid dicat ſcriptura, Et loquutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Ecce vocaui ex nomine Beſeleël filium Vri, de tribu Iuda. Et impleui eum ſpiritu diuino ſapientiæ & intellectus & ſcientiæ in omni opere ad intelligendum ad affabrè faciendum & operandum aurum & argentum, æs & hyacintum, purpurã & coccinum filis detextum & byſſum retortam & ad cedendos lapides in opera & ad fabrililia è lignis, & vt operetur ſecundũ omnia opera hæc. Et ego dedi ei Eliab filium Achiſamec de tribu Dan. Et omni qui induſtrius eſt & prudens corde ego dedi intelligentiam, & facient omnia quecunque tibi ordine præcepi. Rurſus, Dixit Moyſes ad omnem cœtum filiorum Iſraël: Hoc verbum quod ordine præcepit Dominus, dicens: Accipite à vobis ipſis ſeparatam oblationem Domino. Omnis * accipiens ex corde feret primitias Domino, aurũ, argentum, æs, hyacintum, purpuram, coccinũ duplex filis detextum & byſſum retortam & pilos caprinos & pelles arietum

Exo. 31. a — בצלאל *in vmbra Dei* — אורי *lux, ignis.*

אליאב *Deus me' pater* — אחיס-מך *frater cõiungẽs.*

Exo. 35. a

* ὁ καταδεξόμενος.

arietum rubricatas,& pelles hyacinthinas,& ligna imputribilia, & oleũ vnctionis,& thymiama compoſitionis & lapides ſardios & lapides ad ſculpturam & ad ſuperhumerale & ad * talarem tunicã. Et omnis ſapiens * corde inter vos, veniẽs operetur omnia quæcunque ordine præcepit Dominus,tabernaculum & quę deinceps ſequuntur. Ecce ſanè materia hęc pręcioſa eſt & pręcipua commendatione digna,etiam ſi veſtra opinione ignominioſa ſit. Quid enim abiectius pilis caprinis aut coloribus? Atqui non ita ſe habet color coccineus,purpura & hyacinthus. Ecce demum,aſſimilatio ipſorũ Cherubim vtique erat opus manuum hominum. Quo igitur pacto propter legem vetas fieri:quæ vt fiant iuſſit lex. Quòd ſi in gratiam legis obſeruandæ interdicis veneratione imaginum:prouide, vt & ſabbathũ obſerues,vt & circũcidaris. Sed enim ſcito, quia ſi legem obſeruetis, Chriſtus nihil vobis proderit. Qui in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis. Neque enim olim Iſraël videbat Deum :nos cõtrà reuelata facie,Domini gloriam velut in ſpeculo contemplamur. Et quidem nullo non loco ipſius imaginẽ ſenſibiliter expreſſam ob oculos proponimus,pérque eam primum ſenſuum ſanctificamus : Inter enim ſenſoria organa primas partes obtinet viſus , vt & in ſermonibus auditus. Imago enim ſuggeſtio quædam eſt & reuocatio memoriæ. Et quod liber eſt his qui ediſcẽdis

*εἰς τὸν ποδήρη. ex 8. indumentis põtificum illius legis hoc vnum eſt.

*pro καρδίᾳ, Ald° τῇ διανοίᾳ mẽte.

Viſus. primum ſenſuum
Auditus

Imago q[uid]

 literis

literis curam adhibent, hoc imago eſt illiteratis ac rudibus: & quod auditui præſtat ſermocinatio, hoc viſui eſt imago. Intellectu enim & ratio-
Exodi.25. ne ipſi coünimur. Ad id inſinuãdum imperauit Deus arcam fieri de imputribilibus lignis, vtque eam inaurarent intus & foris & tabulas, virgam & vrnam auream manna in ſe continentem in arca reponerent ad perennem memoriam eorũ quæ facta fuerant & ad futurorum præfiguratione m. Et hæc quis neget fuiſſe imagines & perpetuos præcones? Hæc inſuper ſeponebantur, non ad latera tabernaculi, ſed in totius populi con-
**pro εὐεργίζωντο lego εὐεργετίζοντο.* ſpectu, vt ea ſuſpicientes Deo offerrent venerabilem cultũ ac latriam, à quo tot eſſent * cumulati beneficiis. Quòd autem non eis exhiberent latriam, perſpicuum eſt: ſed vt horum contemplatione commoniti ſtupẽdorum operum, Deo qui hæc edidiſſet prodigia, venerabilem culturã rependerent. Imagines enim erant ſepoſitæ ad cõmonitionem, non vt dij: ſed vt monimentum quoddam, quo commonefiebant diuinæ operationis.
Ioſue.4. Iuſſit quoque Deus aſſumi lapides duodecim de Iordanis medio, & adiicit cauſam. Ait enim: Quãdo interrogauerit te filius tuus, Quid ſunt lapides iſti? Doce, quomodo defecit aqua
**θεία προστάξει.* Iordanis diuino * præcepto, & tranſiuit arca Domini & cunctus populus. Quamobrem ipſi non cõformatione imaginum exprimemus ſalutiferæ paſsionis inſignia miraculáque Chriſti Dei,

vt

vt, quũ interrogauerit me filius meus, Quid hoc eſt? reſpõdeã Deũ verbũ factũ eſſe hominem, & per eum nõ Iſraël ſolus pertrẽſiit Iordanẽ, ſed & vniuerſa humana natura poſtliminiò ad antiquã beatitudinẽ ſe recepit, per quẽ natura ab infimis terræ ſinibus aſcẽdit ſupra omnẽ principatũ, ínque paterno throno * conſedit. Atqui vnus aliquis dixerit, Chriſti exprime imaginẽ aut eius matris Deiparæ. O abſurdam improbitatem! Hiſce verbis palàm es profeſſus te hoſtem eſſe ſanctorum. Si enim admittis Chriſti imaginem depingi, nullo autem modo ſanctorum, manifeſtum eſt te non prohibere imaginem depingi, ſed ſanctis ſuum denegare honorẽ. Chriſti enim quaſi iam glorificati imagines fièri permittis: ſanctorum verò adumbrationem aut effigiationem reiicis, tanquam apud te ignobiles ſint & inglorij, & mendacia appellas veritatem. Viuo enim ego dicit Dominus, niſi glorificantes me glorificabo. Sed & eximius Apoſtolus, itaque nõ iam es ſeruus, ſed filius. Quòd ſi filius, & hæres Dei per Chriſtum. Et, Si quidem compatimur, vt & conglorificemur. Non aduerſus imagines, ſed contra ſanctos intuliſti bellum. Ait enim Ioannes Theologus, qui & recubuit ſupra pectus Domini, quia ſimiles ei erimus. Quemadmodum enim qui coniungitur igni, nõ quidem ſuapte natura fit ignis, ſed vnione, exuſtione & communicatione: ita etiam dico carnem incarnati

** Pro κεκάθηκε lego κεκάθικε.*

1. Reg. 2.

Gal. 4

1. Ioã. 2. b

nati filij Dei. Illa enim communione per ſub-
ſtátiã diuinæ naturæ immutabiliter appellata eſt
Deus,non quidem efficaci gratia Dei perunƈta,
Pſal.71. ſicut & ſinguli quique prophetarũ:ſed preſentia
totius perungẽtis.Nam quòd Deus, & dij etiam-
nũ,ſanƈti ſint: docet ſcriptura. Deus ſtetit in ſy-
Nazianzenũ intelligit. nagoga deorũ. Et quia Deus ſtat in medio deorũ
merita diſcernens, iuxta interpretationẽ eximij
**ἀνεκφοιτήτως* illius Gregorij,ſanƈti enim adhuc ſuperſtites ple
ni fuerunt ſpiritu ſanƈto , quibus vita defunƈtis
* indigreſsè & perpetuò gratia Spiritus ſanƈti in-
eſt & animabus eorũ & in ſepulchris corporibus
conditis, ſed & figuris illos referentibus, ſanƈtis
2.Regũ.7 quoque eorũ imaginibus,non per eſſentiam,ſed
gratia & efficaci operatione. Reuera enim polli-
citus eſt Deus beato Dauid,quòd exædificaturus
3.Reg.6. eſſet ſibi templũ per proprium filium & appara-
turus domũ requietionis,quã dum Salomon ex-
trui iubet,Cherubim quoque conflari fecit,vt &
recẽſet liber regnorũ.Et circũtexit Cherubim au
ro & omnes parietes in circuitu,& cælatos Che-
rubim inſculpſit,& palmas intrinſecus & extrin
ſecus.Et non dixit à trãſuerſo , ſed in circuitu &
boues & Leones, & corimbos aureos inſtar mali
grauati.Nũ tandẽ tãtò precioſius fuerit & hono-
rabilius exornaſſe parietes omnes domus Domi-
ni figuris ſanƈtorũ & eorundẽ expreſſis imagini-
bus,quàm iſtis à ratione prorſus alienis & arbori-
bus?Præſertim quũ id fieri vetet lex,dicens:Non
facies

facies omnem ſimilitudinē. Sed enim Salomon poſt acceptam effuſionem ſapientiæ, imaginem expreſſit cœli, Cherubim, Leonum ac boum fecit inſculpi ſimilitudines. Porro hoc fieri prohibet lex. Quòd ſi nos Chriſtum repreſentamus imagine, ſi ſanctorum imagines iubemus depingi: nonne prorſum eſt hoc religioſius, quando gratia Spiritus, Sancti pleni fuerunt? Quemadmodum enim tunc & populus & templū aſperſione ſanguinis ſanctificabuntur & cinere vitulæ: ita etiam nunc ſanguine Chriſti expiamur, qui teſtimonium reddidit ſub pontio Pilato, ſeque ipſum eſſe primitias martyrum docuit. Huc adde & ſanguine ſanctorum exornatur Eccleſia, in quorum nomine ædificatur. Tunc quidem formis & brutorum effigiationibus domus Dei exornabatur, nunc verò quum ſancti ſeipſos inſtituerint tēpla animata & nitētia ratione, ſanè per has imagines ſubiicimus oculis Chriſtū Imperatorē ac Dominū, nequaquā ipſum ſpoliantes ſuo exercitu. Exercitus enim Domini ſancti ſunt. Seipſum in primis ſpoliet terrenus * imperator proprio exercitu, tunc demum ſuum ipſius verum Imperatorem ac Dominum. Deponat purpuram, & tunc pergat adimere venerabilem cultū his qui ſe quàm optimè geſſerunt aduerſus * tyrannum, ſuntque potiti imperio deuictis animarum ſuarum perturbationibus ac vitiis. Si enim hæredes Dei & cohæredes Chriſti, erunt

Nume. 19.

** In leonē Iconomachum hac detorquet.*

** Diabolum ſcilicet.*

erunt vtique etiam diuinæ gloriæ & regni conſortes, quippe qui communicarunt Chriſti paſſionibus. Quomodo non etiam meritò comparticipes terrenæ huius & quã ocyſſimè tranſeuntis gloriæ, vocabuntur amici Chriſti? Non dico vos ſeruos, ait Deus, Vos amici mei eſtis. Hos ne tandem ſpoliabimus honore eis ab eccleſia indulto? O temerariam manum! O ingenium nimíſquam audax, Deo obluctans cõtumaciter & quod eius præſcriptis impudẽtiſsimè reclamat. Non adoras imaginem? Non procidis venerabundus filio Dei, qui viuens eſt imago & figura inuiſibilis Dei nihil euarians, neque diſſimilis ei? Adoro imaginem Chriſti tanquam Dei incarnati. Imaginẽ inſuper Reginæ vniuerſæ creaturę ac Dei parę veneror, vtpote matris filij Dei. Sanctorum quoque imagines vt amicorum Dei venerabiliter colo, qui ad ſanguinis vſque effuſionẽ reſtiterunt aduerſus peccatũ, propriũque profuderunt ſanguinẽ pro Chriſto ipſum imitati qui prior pro illis ſuũ effuderat ſanguinem, quíque ſuam inſtituerunt vitam ſecundum eius veſtigia. Ab his præclarè geſta & pro fide tuenda obitas paſſiones in publicũ prodo ac mando literis, quò eorum interuẽtu ſanctificer, & exemplo illorum velut perunctus prouocer ad imitationem. Honor enim imagini exhibitus tranſit ad prototypũ, ait magnus ille Baſilius. Si tẽpla erigis ſanctis Dei, ſimul & eorum erige trophæa.

Ad Amphilochiũ cap. 18.

phæa. Olim nomine cuiuſpiam hominis nullũ erigebatur templum, non mors iuſtorum vlla celebrabatur feſtiuitate, eam tantùm proſequebantur lugubri lamentatione. Immo qui morticinũ hominis attigerat, reputabatur immundus, iuxta Moſaicam legem: nunc autem ſanctorum memoriæ celebriter aguntur. Iacob patriarchæ cadauer illi planctu magno ſunt proſecuti: mors Stephani feſtiuiter celebratur. Aut igitur memorias ſanctorũ tolle, quòd agãtur præter præſcriptum antiquæ legis: aut imagines, quæ tua opinione ſunt præter tenorem legis, permitte. At certè perarduum eſt, non tranſigere ſolenniter ſanctorum memorias. Etenim ſanctorum apoſtolorum ac patrum qui numine inſpirati ſunt, chorus hæc vt fierent, iuſsit. Ex quo enim tempore Deus verbum factus caro eſt, aſsimilatus nobis per omnia abſque peccato & inconfuſè ſe noſtræ attẽperauit naturæ, citraque omnem viciſſitudinis permutationem, aſſumptam *deificauit carnem, citra vllam confuſionem interuenientibus eius diuinitate & carne inuicem, reuera nos ſanctificauit. Quo factum eſt, vt filius Dei idem etiã Deus qui ſua diuinitate nulli erat obnoxius paſſioni, aſſumpta carne paſſus ſit, noſtrumque exoluit debitum, refundens precium noſtræ redemptionis planè iuſtũ & admiratione dignum. Sanguis enim filii placabilis fuit Patri ac reuerendus, cuius effuſione à ſeruitutis iu-

Num. 19.

* ἐθέωσε τὴν σάρκα.

go ſumus emancipati. Quúmque ad inferos deſcendiſſet, prædicauit libertatem animabus quæ illic à condito primùm ſeculo detinebantur ſeruilibus vinculis compeditæ, quaſi captiuæ, eíſque tanquam eatenus cæcis inſtaurauit viſum:
*Diabolo. & alligato * forti propriæ virtutis prærogatiua reſurrexit. Et carne, quam à nobis aſſumptam ſibi accommodarat, immortali effecta, nos quoque immortalitate donauit. Lauacro enim aquę & Spiritus ſancti regeneratos aſciuit nos in filios diuinæ adoptionis, & planè cooptauit nos
Ephes. 5. in hæredes Dei. Hinc eſt, quòd Paulus fideles quoſque vocat ſanctos. Hinc etiamnũ, quòd ſanctorum mortem neutiquam planctu proſequimur, magis verò de eis feſtum diem peragimus.
Rom. 6. Hinc factum, vt non iam premamur iugo legis,
Rom. 3. & 5. ſed ſub gratia ſumus iuſtificati per fidem, ſolúm-
1. Thimo. 1. que Deum agnoſcimus verum. Iuſto autem non imponitur lex. Non adſtringimur ſeruitute elementorum legis, quaſi paruuli, ſed in virum perfectum redintegrati ſolido cibo veſcimur, non
2. Pet. 1. eo qui mentem inflectit ad Idololatriam. Bona eſt lex, & perinde commoda ac lucerna lucẽs in loco caliginoſo, ſed vſque dum explenduerit dies. Iam tandem exortus eſt lucifer in cordibus noſtris & vitalis aqua diuinæ cognitionis equora gentium adoperuit, omnéſque ad agnitionẽ Domini peruaſimus. Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt noua omnia. Dixit ſanè eximius ille Apoſto-

poſtolus Paulus Petro apoſtolorum ſummo ver *Gala. 2.*
tici, Si tu Iudæus quum ſis, gentiliter viuis &
non Iudaicè: quomodo gentes cogis Iudaizare?
Et ad Galatas ſcribit, Teſtificor omni homini cir *cap. 5.*
cũcidẽti ſe, quia debitor eſt vniuerſæ legis * im- *πληρῶ-*
plendæ. Etenim veteres illi Deũ eſſe neſcientes, *σαι.*
his ſeruiebãt, qui non erant natura dij: nunc au-
tẽ nos cognitionẽ Dei habẽtes, immò veriùs ab
ipſo Deo cogniti, qua ratione reuertemur denuo
ad infirma & egena elemẽta? Planè formã huma
nã à Deo aſſumptã vidi, & ſalua facta eſt anima
mea. Contẽplor Dei imaginem, vt olim vidit Ia- *Gene. 32.*
cob, etiam ſi aliter & aliter. Ille quidem qui im-
materialem, præſignantem quod euenturũ erat,
immaterialibus mentis oculis: ego autem tra-
ctatione memoriæ per carnem video viſibilem
& cõſpicuum. Apoſtolorum vmbra, ſudariaque *σιμικίν-*
& ſemicinctia morbos depellebant, dæmones *θια à la-*
vertebant in fugam. Qua igitur ratione ſancto- *tinis mu-*
rum & vmbra & imago ingloriæ erunt nec vllo *tuata vox, ſed corrupta.*
afficiẽtur honore? Aut totius materiæ adoratio- *Actu. 19*
nem auferto, aut certè nihil eorum quæ ritè in-
ſtituta ſunt, innoues, neque transferas* terminos *ὅρια αἰώ-*
æternos, quos ſtatuerunt patres tui. Neque enim *νια.*
ritus legéſque ſcripto ſolum tradiderunt eccle- *Prou. 22. d*
ſiæ, ſed & citra ſcripturam certis traditionibus.
Siquidẽ eximius ille Baſilius vigeſimoſeptimo è
triginta capitulis quæ ſunt de Spiritu ſancto, ad *τῆς λέ-*
Amphilochium ſcribens * de dictione, Cum his *ξεως.*

γνώμη Memorabilis.

verbis: Dogmata & prædicationes quæ hactenus in eccleſia obſeruata ſunt, nonnulla quidem habemus è doctrina ſcripto prodita, quedam verò ex apoſtolorū traditione, in myſterio, id eſt, in occulto tradita recepimus, quæ vtraque parem habent vim ad pietatem, nec his quiſquam contradicit, quiſquis ſane vel tenuiter expertus eſt, quæ ſint * iura eccleſiaſtica. Nam ſi conſuetudines quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur reiicere, imprudentes etiam ea damnabimus quæ in euangelio neceſſaria ad ſalutem habētur, imò potiùs ipſam prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Hæc Baſilii magni verba ſunt. Vnde enim ſcimus ſanctū Caluarię locū? monumētū vitæ. Nónne pueri nullis eruditi de hoc literis à parentibus acceperunt? Quod enim & in loco Caluarię cruci affixus eſt Dominus, ſcriptis mādatū eſt: & quia ſepultus eſt in monumento, quod exciderat Ioſeph in petra. Quòd autē hæc venerationi ſint nobis, ex traditione nō ſcripta nouimus, plurimaque his nihil diſsimilia. Vnde didicimus, quia baptizādus tertiò immergitur? Vnde quòd vobis ad orientem verſis orandum ſit? vnde miſteriorū traditio? Eoque eximius apoſtolus Paulus dicit, Itaque fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Quum igitur tam multa ac tanta citra ſcripturam tradita ſint eccle-

**θεσμῶν ἐκκλησιαστικῶν Ritus ſiue leges non ſcripta.*

2. Theſſal. 2.d

eccleſiæ,quæ in hodiernum vſque diem obſeruata ſunt,cur circa imagines minutiſſima quæque anxius inquiris? Quæ teſtimonia in mediũ producis,nihil faſtidii aut execrationis inuehũt aduerſus adorationem imaginum:verius aduerſum gentiles qui ſuas imagines quaſi deos deáſque venerãtur. Non itaque oportet propter abſurdum & inſolentem gentilium abuſum,è medio tollere noſtrã conſuetudinem religioſè introductam. Adiurãt incantatores & verſuti præſtigiatores: adiurat & eccleſia maligno ſpiritu detentos. At enim illi quidem aduocant dæmones: eccleſia verò Deum interpellat aduerſus dæmones. Gẽtiles demonibus ſuas imagines dicãt, eáſque ſuos nuncupãt deos: nos autem vero Deo qui carnem aſſumpſit,eas cõſecramus, ſeruíſque Dei & amicis qui dæmonũ agmina expellunt. Quòd ſi obiicias eximium illum & admirabilẽ Epiphanium palàm interdixiſſe earum cultu. Primum quidem reſponderim doctrinam illã à marginaria annotatione fortè relatam in cõtextum atque ita eſſe commentitiam,nõ item profectam ex eius lucubratione, alterius magis eſſe qui eodem dictus ſit nomine, id quod multi facere conſueuerunt. Tum ſecundo loco, ſi opponis, Scimus beatũ Athanaſium vetuiſſe ſanctorum reliquias imponi capſulis ſiue loculis, veriùs præcepiſſe,vt eædem terra conderentur, ob id quòd modis omnibus cuperet abrogare

obiectio prima cũ ſolutione.

2. obiectio, ſolutio.

d iij absur-

abſurdam Ægyptiorum conſuetudinẽ,qui ſuorum cadauera non terra tegebant,ſed in lecticis & pheretris deponebant. Forſan & Epiphanius eximius tale aliquid ad rectitudinem reuocare volens,lege cauit,ne depingerentur imagines,vt & donemus ipſius fuiſſe ſententiam.Nam quòd huius propoſitum non fuerit eas ſummouere, eccleſia iſtius beati Epiphanij teſtimonio eſt ad noſtra vſque tẽpora exornata omni ex parte imaginibus.Tertio reſpõderim: Nõ infrequens aut rarum quid inuentu eſt lex eccleſiæ tradita,
Nazianzenũ intelligit. neque enim vna hirundo facit ver,vti Gregorio Theologo & ipſi veritati videtur,neque vna ſententia poteſt totius eccleſiæ traditionem funditus demoliri & à termino terræ ad extremum vſque limitem conuellere.Tu igitur admitte tãtum agmen conſuetudinum partim ſcripto proditarum,partim à ſpiritualibus viris per manus
Pſal. 113 traditarũ. Quanuis enim dicat ſcriptura: Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum, at certè ſententia hæc nihil prohibet colere inanimata aut opera manuum, ſed ne cultum exhibeas dæmonum imaginibus. Imò verò Angelis,hominibuſ, regibus etiãnum impiis prophetæ ipſi culturam exhibuere. Sed
** vt Iacob.* & * virgam adorarunt, ceu dictum eſt. Dicit enim Dauid,Et adorate ſcabellum pedum eius. Eſaias item ex perſona Dei, Cœlum mihi ſedes eſt,terra autem ſcabellum pedum meorũ. Porrò

cœlum

cœlum & terra quòd creaturæ ſint,nulli eſt non perſpicuum.Moſes inſuper & Aaron cum omni populo prociderunt rebus manufactis.Quare & Paulus planè aurea cicada eccleſiæ ait in epiſtola ad Hebræos,Chriſtus autem aſſiſtens pōtifex *Cap.9.* futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, non huius creationis.Rurſus addit,Non enim in manu- *Ibidem.* facta ſancta introiuit Chriſtus exemplaria verorum,ſed in ipſum cœlum. Itaque priora illa ſancta,ceu ſunt, tabernaculum & ea omnia quæ in eo repoſita erant, vtique manu erant facta: quòd autem eis exhibita fuerit venerabilis adoratio,nemo eſt qui controuertat.

*Sententia ex*epiſtola ſancti Dionyſij Areopagitæ ad Titum deprompta.* **Nona eſt ordine.*

Oportet igitur & nos omiſſa de his opinione vulgari intra ſacra ſigna (vti decet ſanctos) totá intentione * penetrare,neque ea debito honore **pro διαλαβεῖν* priuare, quum ſint diuinarum figurarū germina,expreſſiones atque imagines ſignificatiuæ ſe- *Georg. pachymeres legit* cretiſſimorum & pręcellentium ſpectaculorū.] *διαβαίνειν.* *Vide, qua ex cauſa aſſerit nō contemptui habēdas præſtantium virorum imagines: **Ioan. Damaſc, ſcholium.*

Eiuſdem ex opere de diuinis nominibus.

Hæc & nos in ſacris edocti ſumus. Nunc quidem pro captu noſtro per ſacra velamina elo- *Sub mediū primi capitis.* quiorum & pontificalium traditionum benignitas carnalibus ſpiritualia & ſubſiſtentibus ſuperſtantialia circuntegit. Et formas ac figuras his *περιχαλυπτούσης.*

circū-

circumponit quæ formam nullam, nullam recipiunt figuram: & ſuperiorem naturæ cõditione ac proinde nullis figurabilem typis ſimplicitatem diuiduorum varietate ſignorum multiplicat & formis exprimit:

σχόλιον compẽdioſior interpretatio.

Scholium.

Si benignitatis eſt pro noſtro captu adſcribere formas figuráſque his quæ ob ſuæ naturæ ſimplicitatem, nulla forma, nulla item figura informari queunt, qua tandem ratione non etiam iuxta proportionem noſtri intellectus exprimemus per adumbrationem imaginis quæ ſe exhibent nobis conſpicua per formas & figuras, ad nouãdam memoriã & excitandam mentem per eam memoriam ad imitationem?

Submediũ primi capitis.

Eiuſdem ex opere de Eccleſiaſtica Hierarchia.

Sed illæ quidem ſuperiores nobis ſubſtantiæ & ordines quorum priore libro ſanctam executi ſumus commemorationẽ & incorporales ſunt, & eorum ſacer principatus intellectu apprehenditur, éſtque mundo ſuperior. Noſtram verò * hierarchiam videmus iuxta proportionem noſtrarum virium, ſenſibiliũ varietate ſignorũ multiplicem fieri, per quæ pontificali functione ad vniformem ſtatũ (quo in Deũ trãſimus) pro noſtro quique modulo prouehimur. Atq; Deũ, diuinamque virtutem vt ſunt abſtractæ intelligentiæ, intelligũt, iuxta quod eis fas eſt. Nos autem ſenſili aſpectu imaginum pro virium facultate

** Vel ſacrum & ſacerdotalem principatum.*

tate

tate ad diuinas contemplationes, quatenus poſſibile, mente ſuſtollimur.

Scholium Ioannis Damaſceni.

Si igitur accommodata nobis proportione ad diuinam & materiæ omnis expertem contemplationem promouemur per ſenſibilem contuitum imaginum, cúmque diuina prouidentia ſua erga nos benignitate his quæ non formam, non item figuram recipiunt, noſtræ cauſa manuductionis figuras aſſignat & formas pro modulo noſtri captus: quid indecorum videri debeat, ſi tam amans humani generis ſe eò demiſerit, vt pro captu qualicunque noſtro per imagines ſe voluerit repræſentari? Initio ad nos vſque peruenit fama hæc: Augarum dico Edeſſe regem, qui audita de Domino celebri opinione, amore exarſit erga eius diuinitatem & conſilio inito miſit legatos qui eius efflagitarét viſitationem. Quod ſi negaret id ſe præſtaturum, præceptum dat pictori, vt eius ſimilitudinem ſuo exprimeret penicillo. Quod quum pleniſſime ſciret, qui nihil nō nouit & poteſt omnia, ſumpto panno ſuéque admoto faciei, in eo ſuam impreſſit effigiem, quæ nunc vſque incolumis perſeuerat.

Lege caput vltimum primi Eccleſiaſt. hiſt. Euſebij, caput itē 7. Nicephori. lib. 2.

** τὸ ῥάκος* Dei effigies pan[...]

verſio Nicephori textū lineū.

Ex ſermone ſancti Baſilij in beatum martyrem Barlaam, cuius principium habet, πρότερον μὲν Prius quidem ſanctorum neces.

Mihi nunc exurgite ô præclari athleticorum & ſtrenuè geſtorum pictores. Imminutam ac mutilam ducis imiginem veſtro illuſtrate artificio, & coronatū athletam à me iuſto obſcurius

Sub finem Homiliæ.

depictum, veſtræ ſolertiæ coloribus illuſtriorem reddite. A vobis victus abibo, quàm mox picturam abſolueritis præclarè geſtorum martyris huius teſtem. Gaudebo tali hodie vi veſtræ dexteritatis ſuperatus. Luctam manus video vnà cũ igne à vobis exactius depictam. Luctatorem hũc perſpicio eſſe alacriorem, per hanc à vobis depictam imaginem. Lamententur & eiulent Dæmones etiam nunc perculſi horrore ob præclara facinora noſtri martyris. Ardens iterum manus & victrix illis oſtentetur. In tabula vna Chriſtus, qui legitimè decertantibus digna præmia conſtituit, depingatur, cui ſit gloria in ſeculorũ ſecula, Amen:

Eiuſdem ex capite decimo octauo è triginta capitulis de Spiritu ſancto ad Amphilochium.

Cap. 18. Quoniam rex dicitur etiam regis imago, non tamẽ duo reges. Neque enim poteſtas ſcinditur, neque gloria diuiditur. Quemadmodum enim principatus & poteſtas nobis dominans vna eſt: ſic & glorificatio quam illi deferimus, vna eſt, nō multæ: quoniam imiginis honor ad*exẽplar primum refertur. Quod igitur eſt hîc per imitationem imago, hoc illi natura filius: & quemadmodum apud artifices*aſſimilatio fit ad formã, ita in diuina incompoſitáque natura in communione deitatis eſt vnio:

*[illegible]τυπον.

*ὁμοίωσις.

Scholium Ioan. Damaſceni.

Si imago regis, rex: vtique imago Chriſti, Chriſtus.

ſtus & imago ſancti,ſanctus.neque poteſtas ſcinditur, neque gloria diuiditur, ſed gloria imaginis, eius fit qui ipſa imagine repreſentatur. Pertimuerunt ſanctos Dæmones,quin & illorũ vel vmbram auerſati ſunt. Vmbram & imaginem vtranque cenſeo eſſe Dæmonum expultricem. Quòd ſi reſpondeas oportere Deo vniri ſolo intellectu,aufer è medio quæ corporalia ſunt,omnia. Tolle lumina, thymiama ſuauè fragrans,ipſam quæ voce depromitur,orationem. Denique ea quæ ex materia cõficiuntur, diuina myſteria. puta,panem, vinum, vnctionis oleũ,expreſſam crucis imaginem. Sunt enim cũcta hæc materia, ceu ſpongia crucifixionis, harundo ipſa, lancea quæ latus illud viuificum compunxit. Aut venerabilem culturam horum omnium(quod impoſsibile eſt) tolle è medio:aut certè ne repudies eum honorem qui imaginibus exhibetur. Gratia Dei materiis etiam indulgetur per eorum inuocationem qui imaginibus repræſentantur: vt linum ſubtile aut purpura per ſe hac ſeorſim poſita,aut ſericum & pallium vtroque pertextum, ſi quidẽ rex eo amiciatur, ex eo honore qui obtingit ſic veſtito,nonnihil etiam diſtribuitur veſti. Sic & materiæ. Hæ quidem ſuapte natura nequaquam adorandæ veniunt: ſi verò is qui per imaginem exprimitur,plenus fuerit gratiæ, iuxta fidei proportionem etiam participes fiunt gratiæ:Corporeis oculis viderunt Apoſtoli Domi-

 num

num & Apoſtolos plerique alij. Martyres inſuper alij viderunt. Quin ipſe ego & animo & corpore optem eos contueri, vt hinc medicamentũ habeam, quod amoliatur & à me depellat genus omne malorum. Ex quo igitur creatus duplici conſto natura, ipſe videns quod offert ſe videndum etiam adoro, non tanquam ſit Deus, ſed quaſi honorabilem repræſentationem eorum quæ per ſe digna honore ſunt, reuereor. Tu fortaſſe quidem iam in ſublime es euectus & materiæ omnis expers, ac ſuperior factus corpore, velut etiam nullo grauatus pondere carnis, quicquid vſquã patet viſui, deſpuis & execraris. Atqui ego qui homo ſum corpore circũdatus, magno teneor deſyderio familiariter cõgredi cum ſanctis, conditione corporis & quæ ſancta ſunt corporeis oculis videre. Meæ hinc humili intelligentiæ condona tu præcelſus, vt tuam celſitudinem ſerues indemnem. Commendat Dominus meum erga ſe deſyderium, & amplectitur ſibi familiariter notos. Gaudet enim Dominus ſuper honore ſerui minimè ingrati, teſte Baſilio magno in de laudibus Quadraginta martyrum. Vide nunc cuiuſmodi ſint, quæ dicit dum laudibus cumulat celebrem Gordium:

In Leonem Iſaurum inuehitur.

Ex ſermone. S. Baſilij in Gordium martyrem.

Spirituali iucũditate exhilareſcit populus ſola commemoratione eorũ quæ iuſti fortiter & cũ laude geſſerũt atque ad exemplum & imitatio-

nem

nem benè factorũ quæ audit,perſuadetur. Eorũ enim virorum qui probè cõuerſati ſunt,vel ſimplex hiſtoria aliis ad ſalutem prouehendis velut lucernam quandam ingerit,ad inſtituẽdam ſuæ vitæ rationem.Et iterum, itaque quum eorum vitas enarramus qui decenti pietate excelluerũt, in primis Dominum per ſeruos glorificamus, præconiis autem ac laudibus iuſtos exornamus, populum verò vniuerſum hilari iucũditate perfundimus,audientem quæ honeſta ſunt & laude digna. *Poſt aliquot lineas.*

Ioannis Damaſceni Scholium.

Vide, vt ſanctorum memoria Deo quidem cõciliet gloriam, laudem ſanctis,denique omni populo lætitiam ac ſalutem.Memoriam igitur hãc cur è medio tollis?Nam quod per ſermonem & imagines eorum celebretur memoria, cõfirmat idem eximius ipſe Baſilius.

Eiuſdem ſancti in Gordium martyrem.

Quemadmodum enim ex igne ſuapte natura emicat erumpens ſplendor, odor ſuauè fragrans ex vnguento ſe latè effundit: ita ex commemoratione ſanctarum actionum neceſſariè conſequitur vtilitas.Proinde non mediocris momenti fuerit eorum quæ geſta tunc ſunt, veritatem exactè aſſequi poſſe.Ad nos enim vſque peruulgata memoria quædam,ſed obſcurior peruenit, viri iſtius illuſtria facinora conſeruans.& quidẽ ſermones noſtri pictorum imaginibus aſsimiles

videntur. Illi enim cum ex imaginibus tranſcribãt imagines, vti credere par eſt, plurimum ab* exemplari recedunt. Nos quoque quum res geſtas nequaquam ſpectauerimus, nõ paruum imminet periculum, ne veritatem atteramus:

* τῶν ἀρχετύπων.

Sub finem eiuſdem ſermonis.

Quemadmodũ ſolem quò crebrius aſpicimus, hòc vehementius demiramur: ſic & viri illius recentiorem ſemper retinemus memoriam.

Scholium.

Liquet autem nos aſſiduè intueri eum per ſermonem pérque expreſſionem imaginis:

In ſermone autem qui eſt de honorandis Quadraginta martyribus hæc ait:

Initio ſermonis. Martyrum memoriam celebrandi quæ tandem futura eſt ſatietas, præſertim amatori martyrũ? Siquidem honor à conſeruis in bonos collatus argumentum eſt beneuolentiæ erga Dominum.

Rurſus, Beatum prædica legitimè martyrem, vt teſtis fiat tui propoſiti, vt quum hinc emigrabis, ſiue perſequutione, ſiue igne, ſiue verberibus cum ipſo iiſdem laudibus dignus habearis.

Scholium.

Qua igitur ex cauſa auocas me ab honore impẽdendo ſanctis, mihíque inuides ſalutẽ? Quòd autem ille nouerit formam colorum conformẽ eſſe ſermoni & attextam, ipſum audi poſt pauca loquentem.

Baſilij.

Age igitur iam in medium producẽtes eos noſtra:

ſtra qualicũque commemoratione, ad communem omnium hîc aſtantium vtilitatem conſtituamus, palã omnibus declarantes, quemadmodũ in pictura fortiter ab his res geſtæ cõtinẽtur.

Scholium.

Vides vt vnum ſit opus & ſermonis & imaginis. Quaſi enim in pictura, ait, præmonſtremus ſermone. hæc rurſus conſentanea ſunt ſermoni: Nam & res in bellis fortiter geſtas hiſtorici plerunque & pictores propemodum ac manu demonſtrant. Illi oratione quidem exornantes, hi autem depingẽtes in tabulis, multos vtrique excitarunt ad ſtrenuè ac viriliter agendum. Quæ enim hiſtorica oratio ſolo * auditu repręſentat, hæc & pictura tacens per imitationẽ oſtendit:

Baſilius.

* διὰ τῆς ἀκοῆς.

Scholium.

Vtrum horum dilucidius ad demonſtrationem ſit, liquet quia literarum rudibus libri ſunt imagines & taciturni precones honoris ſanctorum, ſpectatores ſuos tranquilla voce, nec obſtrepera edocentes, & eorum ſpeculationem ſanctificantes. Non iam deſtituor librorum copia, non mihi vacandum lectioni eſt. Subeo medici animarum communem officinam, nempe eccleſiam, compũctus cogitationum aculeis, perinde ac ſpinis. Floridus ipſe color picturæ ſe vt ſpectem, me inuitat, veluti florulentum quoddam pratum, viſum oblectans ac demulcens. Senſim inſerit animæ gloriam Dei. Contemplatus ſum con-

conſtantem martyris tolerantiam, retributionẽ coronarum: & propenſa animi alacritate, quaſi igne quopiam redaccẽdor ad eius imitationem, & exemplo martyris admonitus, procidens Deũ adoro, atque ita amplector ſalutem:

Ioan. Damaſce. Scholium.

Baſil. ſub finẽ proœmyin Pſal mos. Non audiſti patrem hunc reuera deiferum in ſermone procœmiali in Pſalmos dicentem: quia Spiritus ſanctus quum planè intelligeret hominum genus quàm eſſet difficile perſuaſu & ad ſectandam ignauiam propendéret, concinendis pſalmis permiſcuit perſuauem & melicam modulationem? Quid ais? Non pateris diſcribere *Baſil. de. S. Gordio.* tum ſermone, tum coloribus martyrum celebre martyrium? Et oculis & labiis circumple- *Baſil. in. 40. martyrel.* ctar huius martyrium, quod angelis admirabile fuit & vniuerſæ creaturæ, dolorificum autẽ diabolo & dæmonibus formidabile. Idem verò Baſilius velut luminare eccleſiæ talia refert ſub finem ſermonis quo agonem deprædicat quadraginta martyrum. O ſanctum chorum! O cõgregationem ſacram! O commilitium inexpugnabile & infractum! O cõmunes humani generis cuſtodes, ſolicitudinum noſtrarum quàm optimé conſcij & deprecationum ſuffragatores, apud Deum præſtantiſſimi oratores, aſtra toto orbe ſplendentia, eccleſiarum flores, vos non occuluit terra, ſed cœlum ſuſcepit. Paradiſi portæ vobis adapertæ ſunt. Facti eſtis dignum planè

ange-

angelorum exercitui ſpectaculum, dignum patriarchis, prophetis ac iuſtis.

Scholium.

Qua igitur ratione nō deſyderem videre, quod & angeli videre deſyderant? His porrò conſentanea Baſilij frater & in idem conſpirantia adducit Gregorius Nyſenæ ciuitatis epiſcopus:

S. Gregorij Nyſſeni epiſcopi ſententia ex ſupplemento, hoc eſt, de creatione hominis, Capite. 4.*

*ἐκ τοῦ ἀναπληρωματικοῦ.

Quemadmodum iuxta humanam conſuetudinem qui imperatorum imagines conficiunt, formæ effigiem in primis exprimunt, ſimulque repræſentandæ regiæ maieſtati appingunt purpureum amiculum, & ea imago pro conſuetudine etiam rex dicitur. Pari modo humana natura quando ad hoc cōdita eſt, vt in cætera principatum obtineat, quaſi animata quæpiam imago in ſublime erecta eſt, communionem habēs cum primario exemplari conſorsque effecta dignitatis eius nomenclaturæ: Vos Dij eſtis

Eiuſdem è Capite quinto eiuſdem libelli.

Diuina pulchritudo (quanlibet excellentem ac probum adhibeas colorē) nulla effigie, nec item formæ vllius præſtanti integritate explendeſcere poteſt aut illuſtrari: ſed in inenarrabili beatitudine per virtutem perſpicitur. Quemadmodū igitur pictores quibuſdam permiſtis coloribus in tabellas tranſcribunt hominum formas, proprias vtique & ſibi mutuò reſpondentes tinctu-

f ras

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ras ſuperlinentes ad imitationem: vt per exactã diligentiam, primarij exemplaris elegans decor transferatur in aſſimilationem:

S. Ioan. Damaſceni Scholium.

Perpende, vt diuina pulchritudo non figurà vlla explẽdeſcit & illuſtratur, quare & nulla exprimitur imagine. Forma autem hominum contemperantia colorum in tabellas penicillo pictorum tranſcribitur. filius igitur Dei quum accepta ſerui forma, in ſimilitudine hominum factus ſit & habitu inuentus, vt homo, qua ratione nõ per imaginem repreſentabitur? Imago ſiquidem regis, rex etiamnum dicitur iuxta cõſuetudinẽ: quin & honor imagini exhibitus ad prototypum trãſit (vt ait eximius ille Baſilius.) Quã ob cauſam imago non etiam debeat & honoris & venerationis eſſe particeps? Non quaſi Deus ſit, ſed vt Dei incarnati imago.

Eiuſdem ex oratione Conſtantinopoli recitata de diuina maieſtate Filij & Spiritus Sancti. Et in Abraham.

Dehinc pater vinculis adſtringit filiũ. Eiuſmodi paſſionis depictã imaginem vidi ſæpenumero, nec ſiccis præterij oculis tale ſpectaculũ, quum ad rei geſtæ euidentiam me ars pictoris promoueret. Offertur Iſaac genu vtroq; ante altare inflexo, manus habens poſt terga reuinctas. Ille autem vt acceſsit pone flexuram genuũ pueri, læua manu puerilem comam ad ſe reflectens, miſerũ in modum deiecto in terram vultu oculos in

puerum cõiicit, dextráque gladio obarmata rectà eam dirigit ad cedem, ac propemodum acies gladij corpus attingit, ipſoque momento vox diuinitus infertur opus prohibens:

Ex enarratione S. Ioannis Chryſoſtomi in epiſtolam ad Hebræos.

Et quomodo primũ quid ſecundi imago eſt, ita Melchiſedec Chriſti. Quẽadmodũ ſi quis dicat vmbram picturæ quæ fit in corporibus pingendis, hãc quidẽ præcedit pictoris adumbratio. Ob hoc enim lex vocatur vmbra: & gratia, veritas: ipſæ autẽ res, quæ futura ſunt præſignẽt. Lex quidem & Melchiſedec, prior adumbratio quæ eſt in coloribus picturæ, gratia autem & veritas ipſa quæ in corporibus eſt pictura, res verò ipſæ ſunt non huius, ſed futuri ſeculi. Itaque vetus teſtamentum figura eſt figuræ: & nouum figura & adumbratio rerum ipſarum.

Leontij Neapolis Cypriæ ciuitatis annotatio decerpta è libro quem ſcripſit aduerſum Iudæos, de adoranda cruce Chriſti, déque imaginibus ſanctorum & de eorundem reliquiis.

Si me actione petis, mecũque expoſtulas ô Iudæe obiiciens, quia lignum crucis, quaſi Deum adoro, quamobrem non etiam Iacob in ius vocas qui adorauit vel faſtigiũ virgæ? Sed liquidò cõſtat, quia id honoris exhibens ligno, non vtique illud adorauit, imò per lignũ veneratus eſt Ioſeph, quemadmodùm & nos Chriſtũ adoramus per crucem, non item nudo ligno id gloriæ attribuimus. Si itaque typum crucis adoramus, ex quacunque materia imaginem crucis confi- Gen. 47.

cientes,qua tandem ratione non etiam adorabimus crucifixi imaginem?

Rurſus ex eodem Leontio.

Gene.23. Quin & Abraham quum impios homines (à quibus coëmit ius ſepulturæ) adorauit genu in terram inflexo,non vtique vt Deos adorauit.
Gene.47. Iterum , Iacob benedixit Pharaonem, quem conſtat fuiſſe impium & Idololatram. Atqui eũ
Gene.33. benedixit, non vt Deum. Rurſus, idem adorauit Eſau ſe in terram demittens,at non ipſum vt Deũ adorauit. Item, Quomodo mandat Deus nobis,vt adoremus & terrã & mõtes?Dicit enim,
Pſal.108. exaltate Dominũ Deũ noſtrũ,& adorate in mõte ſancto eius. Et, Adorate ſcabellũ pedum eius,
ὅτι ἅγιος ἐστι. *quoniã ſanctum eſt,hoc eſt,in*terra,Cœlũ mihi ſedes eſt, ait dñs: terra autem ſcabellum pedũ
Pſal. 48. *Eſa.66.* meorũ. Quomodo itẽ Moyſes adorauit Iethro cultorem ſimulachrorum: & Daniël Nabuchodonoſorem. Qua igitur ratione mihi vitio vertis quòd eos honore afficiam & adorem qui Deũ digno honore proſequuti ſunt & adorarũt? Dic mihi, Nonne conducibilius eſt colere ſanctos, quàm eoſdem (vt aſſoles tu) lapidibus obruere? Nonne præſtat adorare, & non ita ſerrarum tractu medios diſcindere ac eos qui te beneficiis cumularunt, lacum cœni demittere? Si quidem amore caſto fuiſſes complexus Deum, prorſum ſeruos eius fueras honoraturus. Et ſi oſſa iuſtorum immunda ſunt, quare omni cum honore

oſſa

oſſa Iacob & Ioſeph ſunt ex Ægypto tranſlata?
Quo pacto homo mortuus ab oſſibus Eliſæi 4.Reg.13
mox vt attactus eſt, reſurrexit? Quòd ſi tantam
prodigiorum vim exerit per oſſa, liquidò cõſtat
eadem poſſe efficere per imagines & lapides &
alia id genus permulta, ſicuti & per Eliſæi oſſa 4.Reg.4.
factum eſt, qui propriam virgam tradidit puero
ſuo Giezi, & dixit: Per huius virgæ attactum ex-
cita *filium* Sunamitidis. Moſes per virgam ani-
maduertit in Pharaonem, & mare intercidit &
aquam edulcauit & Petram perrupit, & ex ea il-
liſa elicuit aquam. Hinc ait Salomon, benedictũ σοφίας.
eſt lignum per quod fit ſalus. Eliſæus in Iordã-
nem lignum proiecit, & ferrum in ſublime reuẽ-
xit. Et lignum vitæ & planta Sabec, id eſt, indul-
gentiæ, remiſſionis ac veniæ. Et Moyſes ſerpen-
tem exaltauit in ligno, ad cuius aſpectum popu-
lo vita inſtaurabatur. Lignũ ſimul atque germẽ
produxit in tabernaculo, ſuum Aaroni confir-
mauit ſacerdotium. Atqui Iudæus fortaſſe dixe-
rit Deum præcepiſſe Moyſi, vt vniuerſa hæc fie-
rent in tabernaculo teſtimonij. Tibi reſpondeo,
quia Salomon in tẽplo permulta opera & mul-
tiformia tum ſculptilia, tum conflatilia fieri iuſ-
ſit, quæ vt faceret, neutiquam præceperat Deus,
neque ea poſſedit tabernaculum teſtimonij, ne-
que templum, cuius exemplar præmonſtrauit
Deus Ezechieli, neque tamen Salomon ſenten-
tiam ſubiit damnationis, ob eam rem. Ad gloriã

enim Dei iſtiuſmodi formas molitus eſt & inſtituit, quemadmodum & ipſi facimus. Vt enim iugiter meminiſſes Dei, in eius commemorationem habebas & tu multas imagines ac multiformia ſigna, priuſquàm hiſce ſpoliareris per tuam ingratitudinem & perfidiam, ceu ſunt, Virga Moyſi, tabulæ quoq; habebas digito Dei inſculptas, rubum *aſpergine ignis rorulentum, aquam ex *arida Petra erumpentem, arcam mãna è cœlo continentem, *altare ignis diuini capax, laminam nomen à Deo ſortita, Ephod in manifeſtationem Dei, tabernac[?]lum minime inumbratũ. Cæterum, vtinam & tu nocte ac die vniuerſa hæc obumbraſſes, dicens: Gloria tibi, qui ſolus es omnipotens Deus, qui per hæc omnia nulli æſtimanda prodigia feciſti in Iſraël. Vtinam & tu legalibus hiſce omnibus extimulatus (quæ olim habebas) procidens Deo, ipſum adores. Nimirum vides, quia Deo per imagines adoratio offertur.

*πυρέ-δροσον. *ξηρέ-νυδρον.

Idem poſt pauca.

Si quis enim ſyncero affectu diligit amicum aut regẽ, eum in primis à quo beneficiis affectus eſt, ſiue filium eius viderit, ſiue virgam, ſiue thronũ, ſiue coronam, ſiue domũ, ſiue ſeruum: apprehendit, amplectitur, & beneficum in ſe regem merito honore impartitur. Tanto cumulatius debet honorare Deum. Vtinam enim (id ipſum repeto) deſcripſiſſes & tu imagines Moſaicas atque

propheti-

propheticas,& quotidie Deum adoraſſes ipſorũ dominatorem.Itaq; quum videris Chriſtianorũ liberos crucem adorantes, noueris: quia eam adorationem Chriſto offerunt cruci affixo, non item ligno. Naturam enim ligni ſiquidem adoraret,prorſus etiam lucos & arbores adorare debuiſſent,vt & tu hæc iam olim coluiſti Iſrael, dũ dicebas arbori & lapidi, Tu Deus es me'.Et,Tu me genuiſti.Nos verò non hunc in modũ de cruce profitemur,non item de ſanctorum expreſſis imaginibus. Neque enim cẽſemus deos noſtros eſſe. Libri veriùs ſunt palã omnib' aperti,imagines vt earum contemplatione, Dei meminerimus ipſumque honoremus & in eccleſiis ob id in omnium proſpectu exponuntur & coluntur. Qui enim honorem exhibet martyri,vtique honorat Deum,cui teſtimonium reddidit martyr. Qui Apoſtolum Chriſti colit, eum colit à quo miſſus eſt. Qui venerabundus procidit matri Chriſti,perſpicuum eſt,quia & id honoris offert eius filio.Neque enim vllus Deus præter vnum, qui in trinitate innoteſcit omnibus & latriæ cultu adoratur.

Ioannis Damaſceni: Scholium.

Fidelis hic interpres fuit verborum Beati Epiphanij,cuius libris Cypriorũ inſula exornata eſt. Audi rurſus,quæ ſint verba Seueriani Gabalorum epiſcopi:

Ex ſermone Seueriani Gabalorum epiſcopi,qui eſt in Encania, hoc eſt,initialia ſiue dedicationem innouatæ eccleſiæ Saluatoris.

Imago

**Scilicet ſerpentis diaboli.*

Imago* an non maledicti quínam noſtris progenitoribus vitam reuexit? Et poſt pauca: Qua tandẽ ratione maledicti imago ſalutẽ attulit populo in calamitate fluctuanti? Num quæſo fuerat fide dignius, vt diceret: Si quis veſtrum à ſerpente demorſus fuerit, ſurſum in cœlũ elatis oculis ſuſpiciat ad Deum, & ſaluus erit? Aut certè ad tabernaculum Dei? Imò his tranſmiſsis, ſolã infixit terræ crucis imaginem. Quam igitur ob

Exod. 20.

rem hæc faciebat moſes, qui priùs populo dixerat, Non facies tibiipſi ſculptile, nec conflatile, neque omnem ſimilitudinem eorum quæcunque ſunt in cœlo ſurſum, & quæcunque in terra deorſum, & quæcunque in aquis ſubter terram? Cæterum cur hæc eloquor cum eo populo qui ingratus eſt ac perfidus? Dic tu ô fidei ſummæ famule Dei ídne fieri iubes, quod fieri vetueras? Quod fueras demolitus, ædificas? Qui dixeras, nõ facies ſculptile, * bouémque conflatilem in minutias deduxiſti nunc tu ſerpentem æneum conflari iubes, neque id clàm, ſed palam omnibus, vt omnibus innoteſceret & fieret cognobile. Sed enim diceret, Illa ne fierent, lege caui, vt omnem materiam impietatis excinderem, & ab omni defectione & Idololátria auocarem populum. Nunc verò opportunè & vtiliter ad præſignandam futuram veritatem, conflari ſerpentem iubeo. Et quemadmodum conſtitui compegíque tabernaculum & quæ in eo ſunt, omnia, Cherubim

**pro βοῦν κατιλάξας vulgata editio habet μόσχον κατήλεσεν λέπτον. Exo. 32. pro vtroque lego κατήλας*

bim

bim quoque inuiſibiles aſſimilationes expandi ſuper ſanctuarium, veluti figuram & vmbram futurorum. Ita & ſerpentem erexi, populo vt eſſet in ſalutem, vt doctrice horum experiētia per hoc ſignum præexercerentur ad agnoſcendam imaginem S. Crucis ac ſaluatorem & redemptorem qui in ea fuerat appendendus. Quódque ſententia hæc ab omni mendacio quàm lōgiſſimè abiuncta ſit, audi Dominum chariſſime ratam eam facientem ſuóque ſermone confirmantem: Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filiū hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. *Ioan. 3.*

Scholium Ioan. Damaſceni.

Intellige, quia illud dicebat, vt populū ad idololatriam lubricū ac propendentem ab ea auocaret, & ob hoc legem Dei promulgaſſe, qua interdicebat omni expreſſione imaginum. Iuſſit tamen exaltari ſerpentis effigiem, quòd is ſequuturam Domini paſsionem præſignaret. Porrò quòd noua non ſit adinuentio imaginū, quum id inuentum priſcis ſanctis ac ſelectis patribus innotuerit & eiſdē fuerit in cōſuetudine, audi. Scriptū quippe eſt in vita beati Baſilij per Helladium conſcripta, eius diſcipulum & in pontificatu ſucceſſorem, quia fixiùs ſe obtuliſſet perſpiciendæ imagini Dominæ noſtræ ſanctus hic, in qua & effigies depicta erat Mercurij martyris

multorum præconiis celebrati. Adſtiterat quidẽ preſſiùs impiiſſimi illius in Deũ & apoſtatæ tyranni Iuliani necem efflagitans. Hãc reuelationem diuino afflatu per eam didicit imaginem. Videbat enim martyrem ſe illinc ſenſim ſubtrahere, nec multo poſt interuallo cernebat haſtã eius cruentatam:

Ex vita ſancti Ioannis Chryſoſtomi, verbotenus ita ſcriptum eſt.

Beatus hic Ioannes peculiari quodam amore complectebatur ſapientiſsimi Pauli epiſtolas:

Aliquantò poſt.

Erat illi in imagine effigies ipſum apoſtolum Paulùm velut ſpirantem exprimens. Vbi puſillũ quid temporis interquieuiſſet pro ſubleuanda infirmitate corporis (Siquidem ſupra naturæ cõditionem peruigilabat.) & quũ nõnihil ex Pauli epiſtolis percurriſſet, in Apoſtoli effigiem fixius oculorum aciem intendebat, & quaſi is in viuis ſupereſſet, ita in ipſum preſſiùs contuitum defigebat, eundem prædicans reuerà beatũ, ſibíque viſus illum videre in ipſum totam animi contẽplationem conuertebat, ac ſi cum eodem familiariter verſaretur de diuinis ediſſerens. Pòſt alia, Proclus (ſimul atque deſiit loqui Ioannes) quum oculos fixius intendiſſet in imaginem, cõtemplatúſque expreſſam eius formã ei aſſimilẽ quem viderat, pœnitentia ductus dixit Ioanni porrecto in imaginem digito indice: Veniã indulge mihi pater, quem tecum loquentem vidi,

huic aſſimilis eſt vt autem credo, idem ipſe eſt.

In vita ſanctæ Eupraxiæ demonſtratū eſt effigiem Domini fuiſſe depictam à primaria totius gregis præſide. In vita.S.Marię Ægiptiacęſcriptum eſt, ipſam ſupplicaſſe imagini * Reginæ, & hanc fideiubendo de futura emendatione efflagitaſſe ſibi cōdonari veniam,atque ita introitum in templum eſſe conſequutam: E * Limonario ſancti patris noſtri Sophronii Hieroſolymorum Archiepiſcopi: Dicebat Abbas Theodorus Æliotes,quēdam incluſum in mōte fuiſſe oliuarum apprimè cōcertatorem ſpiritualē. Hunc ſpiritus nequitiæ & fornicationis oppugnabat.Die igitur quodā quum peracri ſtimulo eum perurgeret, déqueri cœpit & in lamenta prorūpere.Denique dicit Dæmoni. Quouſque tandem ab infeſtādo me nihil remittis? Vel deinceps hinc à me faceſſito.Ad hanc vſque ætatē mecum conſenuiſti.Ob oculos illi ſe Dæmon exhibet viſendum & conſpicuum, reſpondens: Iura tu mihi, quod tibi ſum dicturus, nemini eſſe exprompturum,nec te impoſterum oppugnabo,Iurauit ei ſenex per eum qui in altiſſimis habitat, nemini ſe arcanum eius reuelaturum quodcūque dixeris mihi.Tūc Dęmon ait:Caue, hanc adores imaginem, nec te iam oppugnabo. Iurauit ei ſenex.Habebat ea imago expreſſam effigiem Reginæ noſtræ, ſanctæ Mariæ Dei paræ, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum baiulātis.

** Mariæ virgini et matri.*

** λειμωνάριον puto innuere librum huius, cui ea inſcriptio fuit à pratēſi ſiue hortenſi virore.*

Dicit Dæmoni ille incluſus. Sine diſpiciam mecum quid facto opus ſit. Poſtero die is rei ſeriem retegit abbati Theodoro Æliotæ tum è laura cœnobio, quod in Pharo inſula Ægypto contigua ſitum eſt, aduenienti. Rem totam ordine pandit & enarrat. Illi incluſo reſpondet ſenex, Abba verè illuſione præuentus es, quia Dæmoni te obſtrinxiſti iuramento, niſi quia rectè feciſti prodens & euulgans quod latebat, arcanum. Profuerit tibi, ſi in ciuitatem hanc pergens non ingrediaris proſtibulum, néve abneges venerabilem culturam Domino ac Deo noſtro Ieſu Chriſto, vnà cum eius matre. Ipſum igitur quum confirmaſſet, animúmque verbis pluribus cõſtabiliiſſet, illinc in ſuum ſe recepit locum. Proinde is Dæmon rurſus in cõſpectũ incluſi illius prodit, eíque dicit. Quid rei eſt improbe ſenex? Nónne per ſancta iuraſti mihi te nemini dicturum? Ecqua ratione, ei qui ad te venit, nota feciſti omnia? Dico tibi ſenex nequam, quia die iudicij, periurij condemnaberis. Reſpondit ei incluſus, dicẽs: Scio equidem me & iuraſſe & peieraſſe, te autem non audio.

Scholium Ioan. Damaſce.

Planè vides, adorationem imaginis dixiſſe eſſe eius qui per imaginem exprimitur, quãtum etiã mali ſit nolle eã adorare, & qua ratione Dęmon præ lapſu in fornicationem pluris tantò æſtimauit imaginis venerationem. Quum igitur

abuſq;

abuſque initio Chriſtianis tam multi à Deo ſint dati tum ſacerdotes,tum imperatores qui ſapiētia,pietate erga Deum, ſermone pariter & vita cum primis illuſtri præfulſerunt cum honeſtatis decoro,plurimæ inſuper celebratę fuerint ſynodi per ſanctos patres & numine afflatos, cur nemo eorum tale quid aggreſſus eſt efficere? Nō patiemur nos edoceri nouam vllam fidem. De Sion enim exibit lex,per prophetam dixit Spiritus ſanctus:& verbum Dimini de Hieruſalem. *Eſaia. 2.*
Nunquam ſuſtinebimus alia exanimo ſentire, nec immutari viciſſitudine temporum.Non inquam, ſinemus fidem iſtis externis & ab ea abhorrentibus derididulam fieri & ludicram.Non tolerabimus conſuetudinem à patribus acceptā, ſuccumbere imperiali edicto. Neque enim piorum imperatorum eſt euertere eccleſiæ ſanctiones.Talia edicta nequaquam à patribus emanarunt. Sunt enim prædatoria & vi extorta, non item libera perſuaſione fiunt.Teſtimonio eſt ſynodus ſecundò habita in Epheſo quæ in hunc vſque diem agnominationem prædonum & latrocinantium reportauit, quòd violenta manu imperatoris ſit expreſſa, quo tēpore Beatus Flauianus traditus eſt neci. Sunt hæc, non imperatorum,ſicut & confirmat Dominus,vbi congregati fuerint duo vel tres in nomine meo, illic ſum in medio eorum. Neque enim imperatoribus ligandi atque ſoluendi poteſtatem Chriſtus *Matt. 18.*

contulit:ſed Apoſtolis & horum ſucceſſoribus, paſtoribus eccleſiarum & doctoribus. Ait enim Paulus Apoſtolus, etiamſi angelus euangilizet vobis præter quã quod accepiſtis, & quod mox ſequitur premamus ſilentio, parcentes interim,* verbo, propter ſpem & expectionem futuræ conuerſionis. Quòd ſi perſpexerimus peruerſionem hanc non reſipuiſſe (quòd ne ſinat Dominus) tunc quod reliquum eſt verbum, ipſi inferemus: ſed & hoc ne contingat, optandum ſit. Si quis domum ingrediatur, in cuius parietibus Moyſi & Pharaonis hiſtoriam varietate colorum pictor aliquis depinxerit. Porrò is recèns ingreſſus roget fortè, quínam fuerint hi qui mare quaſi ſuper aridam terram incedentes traiecerint, quid reſponderes hac de re roganti te? Nonne, quia filij Iſraël? Quis virga feriens mare? Nõne Moyſes? Sanè conſimili ratione, ſi quis Chriſtum pictura imaginis expreſſerit cruci affixum & interrogetur, Quis hic eſt? Vtique reſpondebit, Chriſtus qui & Deus noſtri cauſa incarnatus. Etiam Domine, quæ tua ſunt, omnia adoramus, tuámque diuinitatem flagranti deſyderio circumplectimur, potentiam tuam, bonitatem, inenarrabilem erga nos miſericordiam, demiſſionem, atque incarnationem. Et quemadmodum nobis horrori eſt ferrũ attingere liqueſcens igni, non item ipſam ferri naturam, ſed quia eidem counitus ſit ignis: ratione ſimili, à te aſſumptam

carnem

Gal. 1.

* *Anathemaſit.*

carnem venerabundus adoro, non propter carnis naturam, ſed propter tuam diuinitatem carni counitam iuxta ſubſiſtentem naturam. Adoramus inſignia tuæ paſſionis. Quis vnquam vidit morti exhiberi venerationem? Quis illatas paſſiones viderat habitas in pretio & coli? At certè tuam ô Deus meus mortem corporalem, ſalutarem tuam paſſionem adoramus. Tuam adoramus imaginem. Denique quæ tua ſunt, adoramus omnia, nimirum famulos, amicos, & præ his, Deiparam matrem tuam. Porrò Dei populum, gentem ſanctam, exoramus, vt tuendis traditionibus eccleſiaſticis preſſius adhæreſcat. Priſcarum enim traditionum abrogatio ſenſim inducta perinde ſe habet, ac ſi è ſtructura quapiam lapides è loco ſuo emoueas. Totam enim ædificij molem per hoc perrumpit quis facilius ac deiicit. Cōtingat autem nos perſeuerare firmos, inflexibiles, & inconcuſſos, nimirum fundatos ſupra firmam petram, quæ vtique Chriſtus eſt, quem addecet gloria, honor & adoratio cū Patre & ſancto Spiritu, nunc & in infinita ſeculorum ſecula, Amen. *Collatio nō inelegans.*

FINIS LIB. I.

Eiuſdem S. Ioannis Damaſce-
NI, QVOD RELIGIOSE imagines ſint colendæ, Liber ſecundus.

πρόληψις. EFflagitanti veniam, condonate Domini mei, & à me inutili & minimo eccleſiæ Dei ſeruo rationem quam affero plenæ ſatisfactionis, veſtris calculis comprobate. Non enim, vt hac de re dicerem, inceſſit mihi cupido captandæ gloriæ, aut vllius de me æſtimationis, (Teſtis Deus): ſed quòd zelo accenderer tuendæ veritatis. Deum enim & ſolum retineo ſalutis meæ ſpem, cúmq; hoc vt & Domino Chriſto pergam obuius, bona ſpe confirmor & opto, hunc ei offerens libellum futurum propitiationem & eorum quæ admiſi improbè, delictorum expiationem. Qui enim talenta quinque à Domino acceperat, alia lucra-
Mat. 25. tus quinque, ea obtulit, & qui duo, eiuſdem numeri nempe duo appendit. Porrò qui vnum acceperat, hoc ipſum qui defodiſſet, nec iam vlli foret vſui accommodum, eo oblato audiuit: Serue male. Accepta hic ſentẽtia dãnationis prolata in tenebras exteriores cõiectus eſt. Tale quid ne perpeti cogar veritus: obſequor Domini mãdato, talentúmque ſermonis ab ipſo mihi con-
*τραπεζίταις. creditum apud vos depono prudentes * menſarios,

rios vt quum venerit Dominus meus,ídque inuenerit multiplicatum & animarũ vſuram deprehẽderit,méque ſeruum fuiſſe fidelem, introducat in mihi maximopere deſyderatum & perquàm ſuaue ſuum gaudium. mihi quæſo, aurem accommodate auſcultantem,menſaſque cordiũ expandentes,vim efficacem eorum quæ à me dicentur,ſyncero affectu ipſi diiudicate. Secundũ enim hunc librum conſcripſi de Imaginibus,eò adductus conſilio ac perſuaſione quorundam eccleſiæ filiorum,vt ſcriberem,quod prior multorũ intelligẽtiæ nõ vſquequaque eſſet peruius. Hac de re ignoſcite mihi impoſitam obedientiá explenti: Conſueuit chariſſimi,ſerpens ille incentor inuidiæ & malitiæ omnis princeps (Diabolum intelligo) multifariàm concire bella aduerſus hominem ad imaginem Dei formatum, & eidem per contraria dogmata mortem moliri. Siquidem initio ſtatim conditi hominis, ſpẽ & immodicam cupiditatem parandæ diuinitatis ei inſeuit,pérque hanc in mortem brutis cõmunem, hominem pertraxit. Nec id modo, ſed & eundem ſæpenumero ineſcauit obſcœnis & à ratione prorſum abhorrentibus voluptatum illecebris. Atqui promiſſa illa diuinitas & concupiſcentia expers totius rationis quanto à ſe intermedio diſparabantur? Et quidem aliquando nonnullos detraxit in abnegationem Dei, vt & teſtis Dei pater Dauid, Dixit inſipiens in corde *Aggreſſio.*

ſuo, non eſt Deus. Nonnunquam dogma impiũ inuexit de * multitudine deorum. Interdum quidem perſuaſit non adorandum eum qui natura eſt Deus: potiùs vt dæmonibus prociderent. Adhæc, miſeros permouit, vt cœlum, terram, Solē, Lunam, aſtra reliquam denique creaturã, adde feras vſque aquatiquas, terreſtres aut aerias & reptilia vt adorarent. Neque enim diſſimilis flagitij eſt honorem non exhibere ipſo honore dignis debitum: & ignominioſis immodicam nec eis congruentem gloriam tribuere. Itemque, nõnullos edocuit, vt dicerent maliciã Deo ipſi eſſe conſempiternam. Quoſdam verò fallaci impoſtura eò erroris adegit, vt aſtruere nihil addubitarēt Deum, qui ſuapte natura bonus eſt, authorem fuiſſe totius malitiæ. Et illos quidem fraude pellexit, vt deſipienter aſſererent in diuinitate vnam eſſe naturam, vnámque perſonam: hos verò ita corrupit, vt nefariè colerent tres naturas, tréſque in diuinitate ſubſtantias. nonnullos quidem ſubmonuit, vt faterētur vnam ſubſtantiam eſſe, vnamque naturã domini noſtri Ieſu Chriſti vnius in ſancta trinitate perſonæ. Aliis verò ſuggeſſit, vt in eodem duas naturas, duaſque glorificarēt perſonas. Porrò veritas mediam ingrediens viam, iſthæc dogmata omnia, vt abſurda & à fide abhorrentia pernegat, ac docet nos confiteri debere vnum eſſe Deum, vnámque naturam in tribus perſonis, Patre & Filio & Spiritu

Pſal. 13.

* εἰς πολυθεΐαν.

Manichæi fuit cõmētũ hoc incētore diabolo.

tu ſancto. Malitiam negat vllam eſſe eſſentiã, admittit tamen quiddam eſſe accidentarium, quæ mẽte concipitur, & eadem depromitur ſermone & opere perficitur prẹter legem Dei: quæ quidem dũ cogitatur, profertur & opere expletur habet, vt ſit, ſimulque vt conquieuit, deſinit eſſe. Adhẹc, veritas Chriſtũ prẹdicat vnum eſſe è ſancta Trinitate, duabus cõſtantem naturis, at vnica ſubſiſtentem perſona. Sed enim veritatis inimicus & humanẹ ſaluti infenſiſſimus hoſtis Dẹmon ſæpenumero in eum errorem adegit non Gentiles modò, ſed & filios Iſraël, vt imagines & ſimulachra exculperent * corruptorum hominum, volucrum, beſtiarum & reptilium & hiſce monſtris venerabundè prociderent. Nunc verò idem malorum incentor eccleſiam Chriſti in tranquilla & concordi pace degentem ſtudio omni conturbare adnititur per labia iniqua & linguam doloſam, ſuam condiens & inſtruens malitiã eloquiis diuinis, ac ſpeciem ſuẹ nequitiæ indecoram & tenebricoſam obtegere conatur, & exagitare auocaréque inſtabiliũ corda à vera atque à patribus tradita conſuetudine. Surrexerunt enim quidam dicentes non oportere imagines depingere nec palàm eas proponi ad communem hominum cõtemplationem, ad gloriã, admirationem & exemplum. Non pingendam item ſalutiferam Chriſti paſſionem, nõ miracula, non ſanctorum etiam res præclarè aduerſus

**Puta Iouis, Martis, Veneris et id genus portentorũ.*

Horũ vertex Leo Iſaurus Iconomacus.

 Dia-

Diabolum geſtas. Ecquis qualencunque notitiã diuinæ ſcripturæ poſsidens & intelligentia prædítus ſpirituali, commentum hoc ſuggeſtione Diaboli non agnoſcit eſſe adinuentum? Non enim vult ſuam vbique traduci qua profligatus eſt, cladem atque ignominiam: ſed & ægerrimè fert Dei ſanctorúmque eius glorioſam & celebrem memoriam prodi literis. Si quidem Dei inuiſibilis imaginem penicillo iuberemus depingi, vtique peccaremus. Etenim quod eſt incorporeum, inuiſibile, incircunſcriptum nec vlla figura informabile, quî id poſſit exprimi delineatione imaginis? Proinde ſi expreſſas imagines hominum cenſeremus deos eſſe, iiſque tanquam diis exhiberemus culturã latriæ, prorſum impiè ageremus. Atqui nihil horum admittimus. Deus enim carnem indutus quum in terra viſus ſit trabea carnis velatus & per inenarrabilem ſuam benignitatem nobiſcum conuerſatus, aſſumpſeritque naturam, corpulentam craſſitiem, formam & colorem carnis, eam repræſentãtes expreſſione imaginis, à veritate nihil aberramus. Ipſius enim exemplarem formam cõtueri magnopere deſyderamus. Nam vt ait eximius
1. Cor. 13. ille Apoſtolus, in ſpeculo & in ænigmate nunc videmus. Imago autem ſpeculum eſt & ænigma ſeſe congruẽter accommodans craſſitudini corporis noſtri. Mens noſtra vt plurimum laboret & defatigetur, nequit tamen egredi quæ corpo-

rea ſunt. O æmule Diabole, inuidia incenderis, quòd qualencũque aſſimilationem Domini noſtri ſinimur contemplari pérque eam ſanctificamur, quòd ſalutiferas afflictiones quas perpeſſus eſt, ipſi cernimus, quia eius erga nos* demiſſionẽ demiramur & eius ſtupenda opera tota mentis acie ſuſpicimus, proinde virtutem diuinæ ſuæ maieſtatis glorificamus. Planè inuides ſanctis collatum à Deo honorem. Non ſuſtines publicis monimentis ſanctorum gloriam prodi, nec vis veri efficiamur æmulatores virilis eorum cõſtantiæ ac fidei. Tuis ſuadelis nequaquam obtẽperamus ô æmule & infenſiſſime oſor generis humani. Audite populi, tribus, linguæ, viri, fœminæ & pueri, ſenes, iuuenes & infantes, gens ſancta Chriſtianorum, ſiquis euangelizet vobis præter id quod accepit catholica eccleſia, præter traditiones ſanctorum apoſtolorum, patrum & ſynodorum, quas in hodiernum vſque diem obſeruauit: ne audieritis eum, neque ſerpentis illicem ſuadelam exceperitis, quemadmodum Eua mox vt ei conſenſit, *vindemiauit mortem. Etiã ſi angelus, licet imperator euãgelizet vobis præter id quod accepiſtis, oppilate aures. Equidem non auſim & quadantenus vereor ſententiam illam Apoſtoli pronũtiare dicentis, Anathema eſto, quòd correctionem præſtoler errantium. Cęterum qui genuinum ſcripturæ ſenſum minimè perſcrutãtur, obiiciunt Deum per Moſen le-

*συγκατάβασιν.

Ad Gal. 1. b

Geneſ. 3.

Gal. 1.

Exod.20. gis promulgatorem dixiſſe: Non facies omnem ſimilitudinem eorum quæcunque in cœlo ſunt, & quæcunque in terra. Et per Dauid prophetam:
Pſal.106. Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, qui gloriantur in *ſimulachris ſuis. Et permulta
καὶ τοῖς εἰδώλοις. eiuſdem formulæ. Quæcunque enim inferre hi poſſint in medium tum ex ſacra ſcriptura, tum ex ſanctorum patrum traditione, in eandem cõſpirant ſententiam. Ad hæc quid ipſi reſpondemus? Quid aliud, quàm quod Iudæis dixit Do-
Ioan. 5. minus: ſcrutamini ſcripturas? Sanè ſcripturarum perſcrutatio apprimè laudabilis & commoda, ſed & hic prudenter attentam mentem adhibetote chariſſimi. Deum ſiquidem mentiri impoſſibile eſt. Vnus enim eſt Deus, vnus qui & vetus & nouum ſanxit teſtamentum, qui olim loquutus eſt multifariam multíſque modis patribus
***οἱ in hebraica dialectos eſt proper.* *in prophetis, & in nouiſſimis hiſce temporibus*in vnigenito filio ſuo. Exacta cum diligentia aduertite mẽtem. Sermo hic nequaquam eſt meus. Spiritus ipſe ſanctus per os Pauli ſanequã ſancti apoſtoli pronunciauit hæc: Multifariam multíſq; modis olim deus loquutus eſt patribus in prophetis. Perpẽde, quia multifariam & mul-
A ſimili βεβαιώσις. tis modis loquutus eſt Deus. Quẽadmodũ enim medicæ artis peritus nõ eandem adhibet omnibus medicamenti ſpeciem, nec ſemper conſimilem: ſed pro cuiuſque corporis habitudine offert medicamentum, inita ratione regionis, morbi,

morbi,temporis & ætatis. Siquidem adoleſcenti alteram offert ſpeciem medelæ, alteram ei qui per ætatem adoleuit, aliam ægroto, aliam item ei adhibet qui vegeto eſt corpore ac valenti, & ſingulo cuique infirmorũ non eandem aſſignat medelam,ſed rationẽ init & valetudinis & morbi. Aliud etiã medicamẽtũ æſtate, hyeme aliud, autumni tẽpore, vere aliud. Singulis quibuſque locis pro qualitate loci. Itidem experientiſſimus animarum medicus parum prudentibus & qui per animæ ægritudinem ad idololatriam propẽdent,& idola deos eſſe cenſent,eáque vt deos colunt, & debitam Deo venerationem auerſantur ac reſpuunt, gloriam Dei attribuunt creaturæ, ob hæc ſculturis interdixit Deus. Siquidem imaginem Dei nemo queat exprimere, quũ incorporeus ſit,inuiſibilis,nulla concreſcat mole materiæ, nulla repræſentari poteſt figura, non loco circũſcribi,nulla mẽte comprehẽdi. Quod enim nemini viſum vnquam eſt, quánam imaginis delineatione quis exhibeat cõſpicuum? Etenim, Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus filius *Ioan.* 1.
qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. Et, Nemo videbit faciem meam,& viuet,dixit Deus. Quia *Exod.* 33.
vero venerationem exhibuerint idolis tanquam diis,audi quid dicat ſcriptura,filij Iſraël in exitu de Ægypto, quum aſcendiſſet Moſes in mõtem Sina, & aſſidẽs Deo diuturniorẽ morã texuiſſet, vt legẽ mereretur accipere, quando perfidus ille

popu-

Exod. 32. populus coorta ſeditione aduerſus Aaron inſurrexit famulum Dei dicens, Fac nobis deos qui præcedant nos. Homo enim hic Moyſes neſcimus quid ei factum ſit. Deinde quum mulieribus ſuum ademiſſent ornatum, cõflatilem fecerunt vitulum, comederunt & biberunt, & inebriati ſunt vino ſimul & errore perfidiæ, cœperúntque ludere, ac per dementiam dicebant: Hi ſunt dij tui Iſrael. Vides illos idola pro diis habuiſſe, quæ erant habitacula dæmonum, & creaturæ latriam obtuliſſe creatori debitam, vti eximius ille ait Apoſtolus, Quidam enim immutauerunt glo-

Rom. 1.*c.* riam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrũ & qua-

*ἐλάτρευ drupedũ & * ſerpentiũ, creaturæ & ſeruierũt po-

σαν *latriã obtulerũt* tiùs quàm creatori. Ob hãc cauſam vetuit Deus

Deut. 4. vllam exprimi ſimilitudinem, quemadmodũ in Deuteronomio ait Moyſes, Et loquutus eſt Dominus ad vos de medio ignis. Vocẽ verborũ vos audiſtis, & ſimilitudinẽ non vidiſtis, ſed vocem. Et poſt pauca, & cuſtodietis valde animas veſtras quia ſimilitudinẽ non vidiſtis in die qua loquutus eſt Dominus ad vos in*Horeb, in mõte è me-

*חרב *deſertum, mons qui & Sinai.* dio ignis, ne fortè peccaretis, & faceretis vobis ſculptilem ſimilitudinẽ, omnem imaginẽ, ſimilitudinem maſculini aut fœminini, ſimilitudinẽ omnis inmenti eorũ quæ ſunt in terra, ſimilitudinem auis pennatæ omnis, & quę ordine ſequuntur, rurſus poſt pauca. Et ne fortè ſurſum

quum

quum oculos ſuſtuleris in cœlum & videris Solem & Lunã & ſtellas, omnémque ornatum cœli, errore deceptus colas ea & eis offeras venerabilem latriam. Vide, vt vnus idémque ſit ſcopus: nimirum is, vt ne venerationem latriæ exhiberẽt creaturæ vlli, præterquam creatori, nec vlli niſi opifici rerum omnium latriam offerrent: quamobrem vbique adorationi connectit latriam. Et poſt pauca, Non erunt tibi dij alij, præter me. Nõ *Deut. 5.* facies tibi ſculptile, neque omnẽ ſimilitudinem. Rurſus, Et Deos conflatiles non facies tibiipſi. *Exod. 34.* Vides, vt viãtdę Idololatriæ cauſa, interdicat expreſſione imaginum. Deũ enim nemo depicta imagine repræſentet, quũ is incorporeus ſit, inuiſibilis, incircũſcriptus. Nõ enim ſpeciem eius vidiſtis, quemadmodum ait & Paulus ſtans in medio Areopagi: Genus ergo quum ſimus Dei, *Act. 17.* non debemus exiſtimare auro & argento, aut lapidi ſculpturæ artis & cogitationis hominis, diuinum eſſe ſimile. Quódque hæc ita ſe habeant, audi quid dicat: Non facies tibiipſi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem. Hæc alioqui quum præcepiſſet Deus iuxta ſcripturam, fecerunt velum tabernaculi teſtimonij ex Hyacintho, purpura & coccino * pleno, & byſſo retorta, opus *νενησ- textile Cherubim: & fecerunt propitiatoriũ ſu- μένου neto vel filato.* per arcã ex auro puro, & duos Cherubim. Quid facis ô Moſes? Tu dicis, non facies tibi ſcultile, neque omnem ſimilitudinem: & tu Velum mo-

i liris,

liris,opus textile Cherubim?& quidẽ duos Cherubim ex auro puro?Quid tibi ad hæc reſpõdeat famulus Dei, audi attentè. O cæci & ſtulti vim eorum quæ dicuntur,percipite: Cuſtodite valde animas veſtras,dixi,Quia ſimilitudinem non vidiſtis die qua loquutus eſt Dominus ad vos in monte Horeb è medio ignis,ne fortè contra legem iniquè ageretis, & faceretis vobisipſis ſculptilem ſimilitudinẽ, omnem imaginẽ. Et, Deos conflatiles non facies tibiipſi.Non dixi,Non facies tibi imaginem Cherubim, quaſi ſeruorum aſſiſtẽtium propitiatorio, ſed non facies tibiipſi deos conflatiles. Et,non facies omnem ſimilitudinem,tanquam Dei.Nullo pacto latriam offeres vlli creaturæ,præterquam creatori.Similitudinem equidem Dei non feci, at neque alterius cuiuſuis creaturæ,tanquam Dei, nõ etiam creaturæ quaſi creatori venerabilem exhibui latriã. Sic & vos facite.Vidiſti,quàm dilucidè appareat ſcopus ſcripturæ,his qui circunſpectè eam excutiunt ac perſcrutantur.Etenim chariſſimi oportet vos noſſe in omni re quæri veritatem & mẽdacium,& hic ſcopus agentis eſt obſeruãdus bonus ne ſit, an malus.Etenim in Euangelio, Deus ipſe, Angelus,homo,cœlũ,terra,aqua, ignis, aër, Sol,luna,ſtellæ,lux & tenebræ,Satanas & dæmones,ſerpentes & ſcorpij,mors & infernus, virtutes & malitiæ, denique omnia bona pariter ac mala inſcripta ſunt.Cæterum quãdo omnia quæ de

Ego Moyſes.

ἀνομήτητι.

Huic cõcinit vulgaris verſicul°, Quicquid agãt homines intentio iudicat omnes.

de iis dicũtur, vera ſunt: & deſtinatio animi rectà contendit ad Dei gloriam & eorum laudem qui ab ipſo digni gloria cenſentur ac ſancti, ad ſalutem item noſtram, ad ſubuerſionem & confuſionem Diaboli ipſiuſque dæmonum: ea veneramur, digna cõplexu ducimus & deoſculamur, oculis quoque, labiis & corde circumplectimur ac deamamus. Cõſimili ratione totum vetus ac nouum teſtamentum, ſermones patrum qui ob eximiam ſancitatem approbati ſunt. E diuerſo, obſcœnam, abominatione dignam & impuram deſpuimus & à nobis ſubmouemus ſcripturam, tanquam mendacia & temerè excogitata continentem ad Diaboli gloriam ac dæmonum ipſius ſimul & his commune gaudium, ſicuti fuit doctrina Manichæorum, Gentilium & aliarum id genus hæreſeon, quas omnes execrabili maledicto ſubiecit & ſententia damnationis perculit eccleſia, etiam ſi illorum ſcriptura Dei nomẽ in ſe contineret. Ad eundem modum, quod ad rationem attinet ineundam de imaginibus, inquiri imprimis debet veritas, ſimul & eorum qui eas ſuo penicillo exprimunt intentio. Et ſiquidem ea animi deſtinatio deprehenditur vera eſſe & recta, nimirum ad gloriam Dei & ſanctorũ eius, ad imitationem virtutis & effugiũ malitiæ, denique ad animarũ ſalutem: approbandæ veniũt & honorandæ, vt effigies, imitationes, ſimilitudines ac libri illiteratorum, venerandæ inſuper

ſunt & cum oſculo excipiendæ. Quinetiam oculis, labiis, corde toto ſalus eiſdem impertienda, quippe quæ Deum nobis repreſentat trabea carnis veſtitum, ſiue matrem eius exprimat aut certè ſanctos paſſionum ſimul & gloriæ Chriſti conſortes, qui ex hoſte diabolo & eius dęmonibus inſignem victoriam reportarunt, omnemque eorum errorem ſunt demoliti. Quòd ſi quis temere auſit imaginem exprimere diuinitatis repræſentatiuam, quum totius ſit expers materiæ, incorporea, inuiſibilis, quum nulla queat exhiberi figura aut colore conſpicua, tanquam mendacem repudiamus. Siquis item ſtatuam exſculpat ad gloriam, venerationem & honorem Diaboli aut Dæmonum eius, illam deſpuimus & igni conſumimus. Siquis imaginem hominum, volucrum, ſerpentum aut alterius cuiuſuis creaturæ pro Deo ſibi præſtituat, hunc Anathemate percellimus. Quemadmodum enim ſancti patres ſacrificia templáque Dæmonum demoliti, eorum loco erexerunt ſacras ædes, ſanctorumque nomenclaturis eas conſecrarunt, proinde etiam eorum templa religioſa obſeruatione proſequimur. Pari ratione imagines Dæmonum quum ad nihilum deduxiſſent, illarum loco excitarunt imagines Chriſti, Deiparæ ac ſanctorum. Et in antiquo quidem teſtamento filij Iſraël nulla excitarunt templa in nomine hominum, ac ne vllius quidem hominis feſtiuam & celebrem memoriam

moriam ſolenniter egerunt. Eo enim vſque hominum natura ſubiacebat maledicto, cuius mors condemnatio erat, eóque lugubri planctu mortuum proſequebantur, morticinum & exangue corpus reputabant immundum, eum etiam qui illud tetigiſſet. Nunc autem ex quo tempore diuinitas noſtræ ſe naturæ, inenarrabili vnione attẽperauit, perinde ac viuificum ac ſalutare pharmacum, natura generis humani glorioſior effecta eſt, & veluti rudimentis quibuſdam reformata eſt & tralata ad incorruptionem. Hanc ob rem ſanctorum mors feſtiuiter celebratur, & ſacræ ædes eriguntur illorum nomenclaturis inſignitæ, & imagines depingũtur. Nouerit igitur homo omnis, quoniam quiſquis adnititur demoliri & ad nihilum perducere imaginem quæ deſyderio ac Zelo Dei depicta ſit ad gloriam & ſuggerendã recordationẽ Chriſti, aut ſanctæ eius matris Deiparæ, vel vnius alicuius ſanctorum, ad confuſionem ac dedecus ſimul & profligationem Diaboli, dæmonumq́ue eius, nec veneratur, nullo dignatur honore, non complectitur vt honore dignam, (non quòd ſit Deus): ille hoſtis eſt Chriſti, ſanctæ Dei genitricis, ac ſanctorum, vltor verò Diaboli & eius dæmonum opere ipſo declarans ſe ægrè ferre Dei ſanctorumq́ue ipſius honorem & gloriam & quia Diabolus per hoc cõfunditur. Imago enim triumphus eſt & aperta declaratio ac velut in columna inſcriptio tituli ad perpetuã me- *θεοτόκου.

moriam reportatæ victoriæ ab his qui heroica virtute præditi ſtrenuè ſe geſſerunt & illuſtri vitæ inſtituto ſe exornarunt, ſimulque ad Dæmonum perenne dedecus debellatorum ac deiectorum. Vtique functio hæc præſcribendi leges ec-
1.Cor.12. cleſiæ non eſt Imperatorum. Vide enim quid dicat eximius ille Apoſtolus, & quoſdam quidem poſuit Deus in eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecūdò prophetas, tertiò *paſtores & doctores. Ad correctionem eccleſiæ nō adiecit imperatores. Rurſus, obedite præpoſitis veſtris & ſubiacete. Ipſi enim vigilant pro animabus veſtris, tanquam rationem reddituri. Iterum, memores eſtote præpoſitorum veſtrorū qui loquuti ſunt vobis verbum, quorum contemplantes conuerſationem, imitamini fidem. Nobis vtique nòn Imperatores loquuti ſunt verbum: ſed apoſtoli, prophetæ, paſtores & doctores. Deus eximio illi Dauid quum mandaſſet vt domū ſibi ædificaret, eidem dixit: Non tu ædificabis mihi domum, quia vir ſanguinum tu es. Exerta clamauit voce Apoſto-
Rom.13. lus Paulus, Reddite omnibus debita. Cui honorem, honorem: cui timorem, timorem: cui vectigal, vectigal: cui tributum, tributum. Hoc Imperatorum eſt, nimirū vt reipublicæ feliciter ſuccedat, prouidere: ordinem verò rei eccleſiaſticę præſcribere, paſtorum eſt & doctorum. Eiuſmodi inuaſio alienæ functionis prædonum eſt &
1.Reg.16. latrocinantium fratres mei. Saul Samuelis palliū diſci-

*ποιμένας. Ad Heb. 13. Ibidem.

diſcidit,ecquid paſſus hinc eſt?Intercidit Deus
eius regnum,& manſuetiſsimo Dauid illud con
tulit.Eliam perſecuta eſt Iezabel,& eius ſangui- 3 Reg 19.
nem ſues canéſque linxerūt,& meretrices ſe eo- Marc 6. Act. 12.
dem proluerunt. Herodes ſuſtulit Ioannem, &
à vermibus eroſus exanimatus eſt.Quin hac etiā
ætate Beatus Germanus vita & ſermone fulguris
inſtar coruſcans colaphis in maxillam impactis,
in exilium relegatus eſt. Alij inſuper permulti
Epiſcopi ac patres quorum ne nomina quidem
nouimus. An non hoc facinus eſt prædonum?
Dominus,quum adiiſſent eum vt tentarent ſcri-
bæ & Phariſæi,ipſum laqueo ſermonis irretitu-
ri, & interrogaſſent num liceret dare cenſum
Cæſari,reſpondit:Exhibete mihi numiſma.Quū
illi protuliſſent,ait:Cuius habet imaginē?Quum
illi dixiſſent,Cæſaris:adiecit, Reddite quæ ſunt
Cæſaris,Cæſari:& quæ ſunt Dei,Deo.Tibi ô Im-
perator in his quæ negotia præſentis vitæ reſpi-
ciunt,obſequenter paremus,ceu ſunt vectigalia,
tributa & id genus largitionū acceptiones, quo-
rum gratia adminiſtratio Reipublicæ noſtræ tuæ
fidei concredita eſt.In conſtituendo autem ec-
cleſiæ ſtatu habemus paſtores qui loquuti ſunt
nobis verbum & ritus atque inſtituta ſuo exem-
plo conſignarunt eccleſiæ. Non transferimus
terminos à ſeculi conditione nobis præſcriptos,
quos poſuerunt patres noſtri:ſed tuemur & reti-
nemus traditiones,quemadmodum accepimus.

Nam

Nam ſi ipſi aggrediemur ſtructurã eccleſiæ vel etiam in re puſilla demoliri: planè moles tota fabricæ ſenſim peſſum ibit. Imaginis materiã improbas, appellas vilem & ignominioſam? Hoc ipſum & Manichæi fecerunt. Atqui diuina ſcri-

Gen. 1. ptura bonam eſſe deprædicat. Ait enim, Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, & ecce bona valde. Sanè quidem confiteor ego materiã Dei eſſe creaturam, nec malam. Porrò tu, ſiquidem eam profiteris eſſe malam: aut negas à Deo productam, aut certè Deum fateris authorẽ eſſe malorum. Vide igitur, quid ſcriptura diuina de materia dicat, quã aſpernabilem & ignominioſam vocitas, Et

Exodi. 35. dixit Moyſes ad omnẽ cœtũ filiorũ Iſraël: Hoc verbum quod mandauit Dominus dicens: Acci-

** ἀφαίρεμα.* pite à vobis ipſis * oblationem Domino. Omnis qui ſuſcipit corde, deferet primitias Domino, aurum, argentum, æs, hyacintum, purpurã, coccinum duplex filatum, byſſum retortã, pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, pelles hyacinthinas, ligna imputribilia, oleum vnctionis & thymiama compoſitionis, & lapides ſardios, & lapides ad ſculpturam, ad humerale, ad veſtẽ talarem. Et omnis ſapiens corde in vobis ſimul ac venerit, operetur omnia quæcunque præcepit Dominus, Tabernaculum. Ecce ſanè materia magni fit & eſt in pretio, quæ veſtra opinione aſpernabilis eſt. Quid enim pilis caprarum eſt vſquam abiectius, atque coloribus? An non colo-

res,

res,coccinum,purpura & Hyacinthus? Ecce iam opera manuum hominum, & expreſſa aſſimilatio Cherubim? ipſumque vniuerſum tabernaculum imago planè erat. Ait enim Deus Moyſi: Vide,vt omnia facias ſecundum exemplar quod tibi monſtratum eſt in monte. Et tamen id adorabatur per circuitum ab omni populo Iſraël. Ad hoc, nonne in conſpectu populi erant expoſita Cherubim,arca, candelabrum, menſa, vrna aurea & virga,ad quorum aſpectum adorabat populus? Non adoro materiam,ſed materię opificē. adoro. Eum inquam, qui propter me factus eſt materia & in materia habitauit & per materiā, meam operatus eſt ſalutem. Verbum enim caro factum eſt & habitauit in nobis. Nemini enim non perſpicuum eſt carnem materiam eſſe & creaturam. Eam itaque colo, reuereor & adoro, materiam per quam ſum conſequutus gratiam. Adoro quidē,non vt Deum: ſed quòd plena fuerit diuinæ operationis & gratiæ. An nō materia lignum Crucis ter ſanè fœlix térque beatū? An non mons* ille venerabilis ac ſanctus materia eſt? Caluariæ locus? An non viuifica petra? Sepulchrum ſanctum, fons noſtræ reſurrectionis? An non materia atramentum & membranæ in quibus conſcripta ſunt euangelia? Materia non eſt menſa viuifica, quæ nobis panem ſuppeditat vitæ? An non materia aurum & argentum quibus conficiuntur cruces & tabellæ, ſacríque calices?

Ioann.1

* *Thabor intelligit* תבור *puritas.*

An non præ his omnibus materia corpus dominicum & eiuſdem ſanguis? Aut horũ omnium cultum & venerationem è medio tolle, aut certè eccleſiaſticæ traditioni permitte veneratioñe imaginum Dei & eius amicorum nomenclaturis conſecratarum, & quæ ob hoc creduntur diuini Spiritus gratia circunfundi. Quòd ſi propter verba antiquæ legis interdicis veneratione imaginum, tibi prouidendum, vt ſabbatum obſerues, vt circuncidaris. Hæc enim iubet lex indiuulſè ac mordicus tueri, vtque lex omnis obſeruetur, neque extra Hieruſalem celebretur Paſcha Domini. Cæterum ſcitote & hoc, quia ſi ſeruaueritis legem, Chriſtus nihil vobis proderit. Tibi inſuper proſpice, vt emortui fratris vxorem ducas ad ſuſcitandum ſemen fratri. Prouidendum, vt ne cantes canticum Domini in terra aliena. Sed abſit, vt hæc contingant. Qui enim iuſtificamini in lege, à gratia excidiſtis. Nouimus Chriſtum, Imperatorem eſſe ac Dominũ: ne ipſum ſuo priuemus exercitu. Domini enim exercitus ſancti ſunt. Imperator terrenus proprio ſe ſpoliet exercitu: tum demum pergat ſuũ regem ac Dominum nudare exercitu. Purpura ſe exuat, deponat diadema, tunc venerabilẽ cultum adimat his qui quàm optimè geſſerunt ſe aduerſus* tyrannum, & contra vitioſas animi affectiones inſigniter eluctantes regali dominio potiti ſunt. Si enim hęredes ſunt Dei, cohæredes autem Chri-

Pſal. 136. *Ad gal. 5* ** Diabolum.*

Chriſti: erunt vtique & diuinæ illius gloriæ ac regni conſortes. Qomodo non etiã in terra fiant amici Chriſti ipſius gloriæ conparticipes? Non dico vos ſeruos, ait Deus, Et, Vos amici mei eſtis. *Ioan. 15.* Hos ne tandem exuemus honore eis indulto à Dei eccleſia? O præſidentẽ manum! O ſententiã temerè pronuntiatam, diuinæ voluntati contradicentem & aduerſum eius mandata nihil non moliẽtem. Si venerabilem cultum negas imagini, vtique nec colis filiũ Dei, qui viuens eſt imago inuiſibilis Dei & character patri per omnia ſimilis. Templũ illud quod ædificauit Salomon, ſanguine dedicatum eſt brutorum animalium & imaginibus expertium rationis exornatum: putà leonum, boum, palmarum & malorum granatorum. Nunc autem Chriſti ſanguine dedicatur eccleſia ac ſanctorũ eius, Chriſti quoque & ſanctorum imaginibus decoratur. Aut tu è medio omnium imaginum adorationem tolle, aut nihil noui temerè deſignes, neque trãſferas terminos * æternos quos poſuerunt patres tui. Nõ eas dico traditiones quas accepit eccleſia ante Chriſti Dei noſtri aduentum in carnem: ſed eas quæ ab ipſius aduẽtu proditæ ſunt. De traditionibus enim veteris teſtamenti dequęrens Deus dicit: *Ezech 20.* Dedi eis præcepta non bona, ſecundum duriciã cordis eorum. Itaque trãſlato ſacerdotio neceſſe fuit legis tranſlationem fieri. Porro ritus eccleſiaſticæ ſanctionis non modò literis tradiderũt

** ὅρια αἰώνια.*

eximij ſpectatores & adminiſtri verbi:ſed & verbotenus & citra ſcripturam quaſdam nobis obſeruandas commendarunt. Vnde enim ipſi nouimus ſanctum Caluariæ locum? vnde monumentum vitæ? Non quidem citra ſcripturam didicit hoc à patre puer. Scriptum quippe eſt in eo Caluariæ loco Dominũ fuiſſe affixum Cruci & in monumẽto ſepultum quod exciderat Ioſeph in petra. Quòd autem nunc ea loca ſint venerationi, hoc vtique ipſi nouimus ex traditione nõ ſcripta. Plurima occurrũt his ſimilia. Vnde ſcimus, quia baptizãdus tertiò intingi aqua debeat hoc eſt baptizari trina immerſione? Vnde, quòd orandum ſit nobis, vultu ad orientem conuerſo? Vnde quòd crux adoranda ſit? Nonne hæc per traditionem nullis proditam ſcripturis? Eóque

2. Teſſal. 2

eximius Apoſtolus Paulus ait: Itaque fratres ſtate & tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Multa igitur quum per traditionem eccleſia receperit quæ & continenter obſeruauit ad hanc vſque ætatem: quid ita anxiè minima hæc perſequimini occupati circa imagines? Euangelium Thomæ compoſuerunt Manichæi: Euangelium ſecundum * Leonem compoſuiſtis vos. Non approbo imperatorem qui rapto & inuecta tyrannide inuadit ſacerdotij dignitatem. Non imperatores poteſtatem acceperunt ligãdi atque ſoluendi. Compertum habeo Valentem Imperatorem

Imperatorem Iconomachũ intelligit Leonem Iſaurum.

rem nomine tenus Chriſtianum fuiſſe & fidem alioqui ortodoxam perſequutum. Huic confines fuiſſe ſcio Zenonem, Anaſtaſiũ, Heracliũ, Conſtantinũ Siculum, Bardaniſcen eũ qui Philippicus dictus eſt. Nõ conſentio, vt eccleſia paciſcatur ſe executurã imperialis edicti formulã: imò vt mordicus tueatur traditiones à patribus acceptas ſiue ſcripto proditas, ſeu citra ſcripturã vſu eccleſiæ comprobatas. Quemadmodũ enim in vniuerſo mundo per ſcripturã prædicatum eſt euangelium: ita & per totum mundum citra ſcripturam traditum eſt, vt imagines Chriſti Dei carnis trabea amicti ac ſanctorum penicillo pictorio exprimantur, veluti eſt & adoratio Crucis, & vt ad orientẽ vultu conuerſo orationes noſtras effundamus. Quæ autem ſcripturæ oracula in medium producis, noſtra ſententia imaginum venerationem minimè abhorrent, nec execrantur: ſed gentiles deteſtantur qui eas prædicant ſuos eſſe Deos. Nihil igitur opus eſt conuellere conſuetudinem tuendæ pietatis ſtudio traditam eccleſiæ, propter gentilium impium & inſolentem abuſum. Incantatores ac malefici præſtigiatores adiurant, adiurat & eccleſia *catechumenos: ſed illi quidem Dęmonum inuocatione, hæc verò aduerſus Dæmonas interpellando Deũ. Immolabant gentiles Dæmonibus, ſed Deo Iſraël ſanguinem copioſum, nidoréſque offerebat: eccleſia verò Deo immolat hoſtiam incruentam.

*κατη-
χοῦσι.

 Demo-

Dæmonibus imagines Gentiles dedicabant: ſed & Iſraël imagines Deos quondam exiſtimabat. *Exod. 32.* Dicebant enim, Hi dij tui ſunt Iſraël, qui reduxerũt te de terra Ægypti. Nos ex oppoſito imagines conſecramus vero Deo & eidem incarnato, ipſiúſque ſeruis ac amicis qui & ab obſeſſis numeroſam profligant dæmonum cateruam. Quòd ſi obiicias beatum Epiphanium nihil obſcurè nobis interdixiſſe imaginum cultura: ſcito, quia ſermo ille commentitius eſt, ab * Epiphanio quopiam qui alius fuerit ab hoc inſigni Epiphanio, id tamen nominis ſortitus, cuiuſmodi permulta contingere ſolent. Non enim patrum traditioni repugnat iſtius patris doctrina. Vnius enim Spiritus ſancti participes fuerunt omnes. Teſtimonio eſt ipſius eccleſia imaginibus exornata, vſquedum nonnulli aduerſus eam inſurrexerũt, & gregem Chriſti turbelis exagitarunt, pro virili adnitentes populo Dei poculũ doctrinæ porrigere ad fraudulentam ſubuerſionem. Si crucem, lanceam, harundinem, & ſpongiam (per quæ Deicidæ Iudæi Dominum meum intolerandis affecere contumeliis, denique morte atrociſſima multarunt) ſi hæc inquam, quòd cauſam exhibuerint inſtaurandæ meæ ſaluti, adoro ac veneror: non etiam imagines adorabo à fidelibus depictas pia intentione ad gloriam & memoriã paſſionum Chriſti recolendam? Si imaginẽ crucis ex qualicunque tandem materia fabrefactam adoro,

** Ab Epiphanide hæretico.*

Adſcribitur & hoc margini. Inuẽtus eſt & eò vſque agreſtis & inclemẽs Leo qui frendens turbelis permiſcuit Chriſti gregem.

adoro, non etiam adorabo eius imaginem qui à cruce pependit, & re ipſa docuit ſuá crucem nobis eſſe ſalutarem? O inhumanitaté! Nam quòd non venerer materiá, vel hinc perſpicuum euadit. In partes enim diſſoluta effigie crucis,(ſiquidem ex ligno fuerit fabrefacta) lignum ipſum contrado igni, perinde ac imaginum materiam. Quòd autem artificium pingendi imagines non nouè & recèns excogitatum ſit nec earum veneratio:ſed peruetus eccleſię traditio,accipe & ſcriptorum & conſuetudinum à patribus ad nos vſque delatarum numeroſam multitudinem. Sanè in ſancto Matthæi euangelio ait hæc Dominus, dum beatos ſuos prædicat diſcipulos: cúmque ipſis eos omnes qui ad illorum regulam recta incedunt, & qui illorum ſubſequuntur veſtigia. Beati ſunt oculi veſtri,quia vident: & beatæ aures veſtræ,quia audiunt. Amen enim dico vobis, quia multi prophetæ & iuſti voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis,& non audierunt. Ingenti & nos flagramus deſyderio videndi, quatenus vires ſinunt. Videmus enim in ſpeculo & in ænigmate & in imagine,& proinde hinc beatificamur. Deus ipſe primus condidit imaginem,imaginéſque demonſtrauit. Hominé enim ad ſuam ipſius imaginem creauit. Porrò Abraham,Moyſes,Eſaias, denique prophetæ imagines viderunt Dei, non ipſam Dei eſſentiam. Rubus ille imago erat ma-

Matt. 13.

1. *Cor.* 13.

Geneſ. 18.

tris

tris Dei,& quia ad rubũ propiùs acceſſuro Moy-
Exod. 3. ſi, dixit Deus:ſolue calceamentum pedum tuorum.Terra enim in qua ſtas, terra ſancta eſt. Si igitur terra,in qua imago Deiparæ viſa eſt Moyſi,terra ſancta eſt:quanto magis ipſa imago? Nõ enim ſancta eſt ſolùm:ſed auſim profiteri,etiam ſanctorum ſancta. Ipſe dominus interrogãtibus
Matt. 19. Phariſæis,Quid igitur Moyſes mandauit dare libellum repudij,& dimittere vxorem? Reſpõdit, Quia Moyſes propter duritiã cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxorem veſtram. A principio autem non fuit ſic. Et ego dico vobis, quia Moyſes propter duritiam cordis filiorum Iſrael, quum planè noſſet eorum procliuem lapſum ad Idololatriam, non eis permiſit vt exprimerent imagines. Nunc autem res in diuerſum abiit.Ipſi enim ſolidè conſiſtimus in petra fidei, copioſo lumine diuinæ cognitionis locupletati. Audite,
Matt. 23. quid dicat Dominus, ſtulti & cæci. Qui iurauit in tẽplo,iurat in eo & in illo qui habitat in ipſo: & qui iurauit in cœlo,iurat in throno Dei & in eo qui ſedet ſuper ipſum.Et qui iurat in imagine, iurat in eo qui exprimitur per imaginem. Sanè quidem tabernaculum, velum oppanſum tabernaculo,arca,menſa, denique omnia tabernaculo illata,imagines erant,figuræ & opera manuum hominum,quæ ab omni Iſraël adorabantur.Iam verò etiã Cherubim ſculptiles Dei mandato affabrè facti fuiſſe ſatis ſuperque demon-

ſtratũ

ſtratũ eſt. Dixit enim Deus Moyſi: Vide, vt omnia facias ſecundum exemplar quod tibi monſtratum eſt in monte. Audi & Apoſtolum Paulum ſuo hoc confirmantẽ teſtimonio, quia manufacta & imagines adorabat Iſraël, Deo hoc præcipiẽte. Ait enim: Si eſſet ſuper terrã, nec eſſet ſacerdos: quum eſſent ſacerdotes qui offerrẽt ſecundum legẽ munera, qui exẽplari & vmbræ deſeruiunt cœleſtiũ, ſicut reſponſum accepit Moyſes quum conſumaret tabernaculũ. Vide enim, ait, omnia facito ſecundum exemplar quod tibi monſtratum eſt in monte. Nunc autem melius ſortitus eſt miniſterium: quantò & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum lege eſt. Nam ſi illud culpa vacaſſet: non vtique ſecundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit, Ecce dies veniunt, dicit dominus, & conſummabo ſuper domum Iſraël & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum quod ſtatui cum patribus veſtris in die qua apprehendi manum eorum, vt educerẽ eos de terra Ægypti. Et aliquantò pòſt, Dicendo autem nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt. Habebat quidem prius tabernaculum iuſtificationes culturæ & illud ſanctum ſeculare. Tabernaculum enim factum eſt primum in quo erant candelabrum, menſa, propoſitio panum quæ dicitur ſancta. Poſt Velamẽ-

Hebr. 8.b *Exo. 25.d* *Act. 7.* *Hiere. 33.e* *Hebre. 8.c* *Hebr 9.*

tum autem ſecundum, tabernaculum, quod dicitur ſancta ſanctorum, aureum habẽs thuribulum,& arcam teſtamenti circuntectam ex omni parte auro,in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat,& tabulæ teſtamẽti,ſupérque eam erant Cherubim gloriæ obunbrantia propitiatoriũ.Rurſus,non enim in manufacta ſancta Chriſtus introiuit, exemplaria verorum:ſed in ipſum cœlum.Poſt alia, Vmbrã enim habens lex futurorum bonorũ,non ipſam imaginem rerum. Agnoſce iam quia lex & quæ per ipſam preſcribuntur, omnis denique ſecundum nos latria,manufacta ſunt ſancta nos offerentia per materiam Deo materiæ omnis experti.Lex quidem & quæ legẽ pręſcribebantur,omnia vmbratilis quædam repræſentatio erant futuræ imaginis:hoc eſt, quã nos Deo exhibemus, latriæ.Latria autem hæc noſtra,imago eſt futurorum bonorum.Res verò ipſæ, ſuperna Hieruſalem,à concretione materiæ aliena,nec manufacta, quemadmodum eximius ait Apoſtolus, Non enim habemus hîc permanentẽ ciuitatem, ſed futuram inquirimus,quæ eſt ſuperna Hieruſalem,cuius artifex & conditor eſt Deus.Omnia enim quæ & ſecundum legem & ſecundum * latriam noſtram illius gratia facta ſunt.Ipſi gratia in ſecula,Amen.

Eod.cap.

Cap.10. initio.

Ad Heb. 13.

**Eam intelligit quam ſoli Deo exhibemus.*

Teſtimonia veterum & probatorum ſanctorum patrum de imaginibus.

Ex epiſtola.S.Dionyſij Areopagitæ,ad Titum.

Opor-

Oportet igitur,& cætera.) Habes ſub finẽ primi cum Ioan.Damaſceni ſcholio.

Eiuſdem ex opere de diuinis nominibus.

Hæc & nos in ſacris edocti ſumus.)Habes ſub finem primi,cum Ioan.Damaſ.ſcholio.

Ex eiuſdem opere de eccleſiaſtica Hierarchia.

Sed illæ quidem ſuperiores.)Habes ſub finẽ primi cum Schol.

Ex ſermone. S. Baſilij in B. Barlaam martyrem cuius eſt principiũ

Prius quidem ſanctorum neces. Mihi nũc exurgite)Habes ſub finem primi.

Ex eiuſdem capite. 18. ad Amphilochium.

Quoniam rex.) Habes ſub finem primi cũ Scholio Ioannis Damaſcen.

Ex ſermone eiuſdem in Gordium martyrem.

Spirituali iucunditate.) Habes ſub finem primi, cum Scholio.

Eiuſdem in eundem martyrem.

Quemadmodum enim ex igne.) Sub finem primi cum Scholio.

Sub finem eiuſdem ſermonis.

Quemadmodum enim Solem.)ſub finem primi cum Scholio.

Ex ſermone in.40.martyres.

Martyrũ memoriã.) Sub finẽ primi cũ Scholio.

Ex eodem Baſilio.

Agedum igitur.)ſub finem cum Scholio.

Ex Gregorio Nyſeno.

Quemadmodum iuxta.) Sub finem primi.

Ex capite. 5.eiuſdem operis.

Diuina pulchritudo.)Sub finẽ primi cũ Scholio.

Ex ſermone eiuſdem de diuinitate filij & Spiritus ſancti.

Dehinc pater.)Sub finem primi.

 Ex Ioan.

Ex Ioan. Chriſoſtomo in epiſtolam ad Hebræos.

Et quomodo primum.) Sub finem primi.

Ex opere Leontij aduerſus Iudæos.

Si me actione petis.) Sub finem primi cum Scholio ſub finem.

Ex ſermone Seueriani in Encenia.

Imago maledicti.) Sub finem primi.

In vita Ioan. Chryſ. ſic ad verbum.

Beatus hic Ioan.) Sub finem primi.

In vita S. Eupraxiæ.

Demonſtratum eſt.) Sub finem primi.

Ex ſermone Chryſoſtomi quòd vtriuſque teſtamenti vnus ſit legiſlator & in veſtimentum Sacerdotis.

Picturam ego quoque dilexi, licet fuſili cera confectam, modò plena ſit pietatis. In imagine enim vidi angelum barbarorum agmina profligantem. Vidi proculcatas nationes barbarorum, & Dauid quæ vera ſunt, profitentem, Domine in ciuitate tua imaginem ipſorũ ad nihilũ rediges.

Ex eiuſdem enarratione de parabola ſeminis.

Regiam veſtem ſi contumelia affeceris, nonne ipſum contumelioſè accipis qui ea iuduitur? Nõ noſti, quia imaginem regis ſi vllo aſperſeris dedecore, in prototypum regiæ maieſtatis eiuſmodi iniuria reſilit? Neſcis, quia ſi quis effigiem ligno confectam aut ſtatuam ære conflatã euerterit, cogitur ſententiam ſubire non quaſi quicquam præfidentius tentauerit in materiam inanimen, ſed perinde ac in regem ipſum eam ſit molitus contumeliam? Prorſus enim præferens

regis

regis imaginem, ſibi irrogatam iniuriam reiicit in regem.

Ex eiuſdem Ioan. Chryſoſtomi ſermone in Meletium Antiochiæ epiſcopum ac martyrem, & in eorum qui conuenerant, ſtudium propenſius, qui ſic orditur.

Quoquouerſus oculos circunferens in ſanctum gregem.

Paulò poſt,

Quódque fiebat, erat diſciplina exercēdæ pietatis. Adigebantur enim eò, vt continenter meminiſſent appellationis illius, eorúmque animis ſanctus ille obuerſaretur, ac nomen retinerent ad propulſandam affectionem omnem & animi cogitationem à ratione abhorrentem. Atque ita diu factum id eſt, vt vbilibet locorum, in biuio, in foro, & in agris celebri ſono huius nominis applauderetur. Nec propter tanti nominis celebritatem ſolùm affecti hoc ſunt deſyderio: ſed & ob formam corporis ipſius. Quod igitur & in nominibus opere ipſo demonſtraſtis: hoc ipſum in eius imagine re ipſa declaraſtis. Etenim in *annulorum palis, poculis in phialis, thalamorum parietibus, denique nullo non loco ſanctam eius imaginem multi exculpſerunt, vt ne vel auditu ſolo illius appellationem perciperent, ſed & ipſius effigiem quouis loco viderent ſibi ob oculos exhibitam, proinde & hinc duplicem decerperent conſolationem.

**σφενδόνη. Pars annuli cui inſeritur gemma, pala.*

Eiuſdem in proditionem Iudæ, in Paſcha & in traditionem ſacramentorum, quódque nō oporteat meminiſſe iniuriarum.

Quemadmodum enim in eadem tabella pi-

ctores vndequaque lineas ducunt primum, & vmbratilem figuram informant, denique ipſam rei veritatem ſuperponunt temperata varietate colorum: ita & Chriſtus fecit:

Ex epiſtola ſancti Ambroſij Mediolanenſium Epiſcopi ad vniuerſam Italiam.

Tertia autem nocte, corpore confecto ac fatiſcente ex ieiunio priore, mihi quidem neutiquã dormienti, ſed in raptu mentis poſito viſi ſunt cum perſona quadam quæ beato Paulo Apoſtolo videbatur conſimilis, palam docente pictura ipſius in imaginibus effigiem:

Maximi philoſophi & confeſſoris ex his quæ de ipſo peracta ſunt inter ipſum & Theodoſium epiſcopum.

Híſque peractis ſurrexerunt omnes cum gaudio ac lachrymis & exacta pœnitentia preces fuderunt, & ſinguli quique eorum ſancta euangelia, precioſam crucem, imaginémque Dei ac ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, Dominæ noſtræ quæ ipſum enixa eſt, ſanctiſſimæ Deiparæ piè complexi ſunt, manúſque ſuas ſuperpoſuerunt pro ſancienda fide eorum quæ dixerant:

Ex ſermone ſanctiſſimi ac beatiſſimi Archiepiſcopi & Patriarchæ Theopoleos ſiue Antiochiæ Anaſtaſij de ſabbato, ad Simeonem epiſcopum Boſtrenſem.

Quemadmodum enim abſente quidem rege, eius imago vicem ſupplens abſentis venerationi eſt & colitur, eodem verò præſente ſuperfluum deinceps ſit, vt quis relicto prototypo adoret imaginem. Ex quo tamen non iam adoratur, quòd adſit is cuius gratia erat venerationi, non etiam con-

uenit

uenit eam vllo aſpergi dedecore.

Et aliquantò pòſt.

Quemadmodum enim qui contumelioſè debacchatur in regis imaginem, pœnam ſubire cogitur irrogatę cnotumeliæ vltricem, perinde ac ipſummet regem eo dedecore aſperſiſſet, vt aliud nihil fuerit imago quàm lignum & colores ceræ immixti & contemperati. Ad eundem modum, qui cuiuſpiam effigiem ignominia afficit, eã vtique contumeliam in eum ipſum confert cuius eſt effigies.

Ex Limonario S. patris noſtri Sophronij Archiepiſcopi Hieroſolymitani.

Dicebat Abbas Theodorus.) Habes ſub finem primi cum Scholio Ioan. Damaſceni.

FINIS LIBRI SECVNDI.

Eiuſdem S. Ioannis Damaſce-
NI, LIBER TERTIVS AD-
uerſus eos qui venerabiles ſanctáſque imagines reſpuunt & aſpernantur.

MOs hic perpetuus eſt illi verſuto ſerpenti & authori malitiæ omnis, Diabolo inquam, multiformi bello adoriri ac laceſſere hominem ad imaginem Dei formatū, & per ea quæ inter ſe pugnant, eius mortem moliri. Mox enim initio cōditi hominis, ſpem ei ac deſiderium parandæ diuinitatis inſeuit, pérque id ipſum præcipitauit in mortem brutarum animantium. Nec ſolùm, ſed & eundem ſubinde ineſcauit pecuniis voluptatum illecebris. Quanta quæſo, dimenſione à ſe diſiūcta ſunt diuinitas & totius expers rationis cupiditas? Et quidem aliquando ipſum eò impietatis deuoluit, vt negaret Deum eſſe, quēadmodum ait eximius pater * Dei Dauid, Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. Nonnunquam verò, vt impiè aſtrueret Deorum multitudinem. Interdum perſuaſit, vt ne eum quidem adoraret qui natura Deus eſt: è diuerſo eundem ſubornauit, vt venerabilem cultū tribueret dæmonibus, prætereà & cœlo, terræ, Soli, lunæ, aſtris, reliquæ inſuper creaturæ, vſque ad beſtias aquati-

* Nimirū Christi, Dei & hominis.

Pſal. 13.

aquaticas, terreſtres ſiue aërias & infima reptilia. Quod enim attinet ad grauitatem flagitij, paria ſunt, dignis honore non rependere debitum honorem, & ignominioſis non congruentẽ gloriam accõmodare. Porrò veritas media inſiſtens via, omnia reſpuit abhorrentia à morum probitate. Cæterum perduellis ille, inimicus veritatis humanæq́ue ſalutis hoſtis indefeſſus, qui olim hoc errore impietatis crebriùs implicuit non gentes modò, ſed & filios Iſrael, vt ſibi imagines depingerent Dæmonum, hominum impiorum, volucrum, beluarum ac reptilium & eiſdem tanquam diis venerabundi prociderent: nũc Chriſti eccleſiam in tranquilla pace acquieſcentem omni ſtudio adnititur variis exagitare turbelis, per labia iniqua & linguam doloſam, diuinis eloquiis ſuam condiens ſubdolam malitiam, huiuſque indecorem ac tenebricoſam ſpeciem tentans obtegere, ſimul & incõſtantium corda agitãdo auocare à veritate & ab accepta à Patribus conſuetudine. Surrexerunt enim quidam aſſerẽtes non oportere exprimere imagines, nec eas in proſpectum omnium debere proponi ad contẽplationem, gloriam, admirationem & exemplũ, Chriſti inſuper ſalutifera & ſtupẽda opera, paſſioneſq; ac ſanctorum fortia facta aduerſus diabolum. Ecquis præditus Dei cognitione & ſpirituali intelligentia, fraudulentã hanc eſſe ſuggeſtionem diaboli neſciat? non enim vult ſuam

profligationem & ignominiam traduci atque euulgari: neque ſuſtinet Dei ac ſanctorum eius gloriā quoquo pacto in publicum prodi. Quòd ſi Dei inuiſibilis imaginē effingeremus, vtique velis nolis, peccaremus. Siquidem Deus, quum ſit incorporeus, nullius figuræ capax, inuiſibilis & incircunſcriptus, nulla poteſt exprimi imagine. Rurſus, Si quæ ipſi vel ſculpendo vel pingendo effigiamus, cenſeamus eſſe Deos, iiſque tanquam diis latriam ſoli Deo debitā exhibemus, haud dubium eſt nos impiè agere. Atqui nihil horum facimus. Non etiam in errorem prolabimur imaginem exprimentes Dei incarnati, in carne viſi ſuper terram & cum hominibus per inenarrabilem ſuam bonitatem conuerſati, vt qui noſtram aſſumpſit naturam, carnulentam craſſitiem, formam & carnis colorem. Ipſi enim magno tenemur deſiderio videndæ eius formæ. Vt enim eximius ait Apoſtolus, In ſpeculo & in ænigmate nunc videmus. Eſt autem imago ſpeculum & ægnima ſe accommodans noſtri corporis pinguitudini. Mens etiamſi plurimum laboret: nequit tamen excedere è corporeis iſtis, eximio illo teſte Gregorio. O inuide diabole, planè inuidia ſtimularis, vt ne Domini expreſſam ſimilitudinem contemplemur, ac proinde per eius amabilem cōtuitum ſancti efficiamur, vt ne perſpiciamus ſalutiferam ac multimodā ipſius paſſionē & eius demiremur erga nos * demiſ-

Nazianzenū intelligit.

**Vulgò cō deſcēſionē συγκατάβασιν.*

miſſionem. Non vis vt contemplemur ſtupēda eius opera, agnoſcamus ac depromamus gloriā diuinæ eius potentiæ. Torqueris inuidia, quòd ſanctis honor à Deo ſit attributus. Non ſuſtines nos videre eorum gloriam in ſcripta relatā. Non vis nos effici probos æmulatores ipſorum per quàm ſtrenuæ virtutis ac fidei. Nō fers, quia multiformis vtilitas nobis accedit tū corporis, tum animæ ex noſtra erga ipſos fide. Nequaquā tibi obtēperamus ô inuide Dæmon & infenſiſſime oſor hominū. Audite populi, tribus, linguæ, viri, mulieres, pueri, ſenes, adoleſcentuli & infantes, gens Chriſtianorum ſancta. Si quis euangelizat vobis præter id quod accepit ſancta catholica eccleſia ab Apoſtolis, patribus & ſynodis, & in hūc vſque diem perpetuo curſu obſeruauit: ne talem audieritis, cauete excipiatis conſilium quod inſtillat ſerpens, quemadmodum admiſit Heua & vindemiauit mortem. Etiam ſi angelus, etiam ſi Imperator euangelizet vobis præter id quod accepiſtis, aures occludite. Extraho interim tempus, & detrecto dicere, quemadmodum eximius dicebat Apoſtolus, Anathema eſto, quippe præſtolor correctionem. Sed iſti obiiciunt nō perſcrutantes mentem ſcripturæ, Deum per Moyſen legiſlatorem, non facies omnem ſimilitudinem eorum quæcunque ſunt in cœlo & quæcunque in terra. Et per Dauid prophetam, Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, qui gloriantur

*ἐν εἰδώλοις.

in*ſimulachris ſuis. Alia inſuper inducunt conſimilis formulæ. Quæcunque iſti inferunt ex diuina ſcriptura, ex ſanctis item patribus, in eandē conſpirant ſententiam. Ad hæc igitur quid reſpondemus? Quid aliud, quàm quod à Domino reſponſum eſt Iudæis? Scrutamini ſcripturas. Siquidem bona eſt perſcrutatio ſcripturarum. Cæterum cordate ac prudenter hîc attēti eſtote. Impoſſibile eſt dilectiſſimi, vt Deus mētiatur. Vnus eſt Deus, vnus qui legem dedit veteris nouíque teſtamenti: Olim ipſe loquutus eſt multifariam multíſque modis patribus*in prophetis, & in nouiſſimis temporibus in vnigenito filio ſuo. Attendite igitur cum exacta diligentia. Sermo hic non eſt meus. Spiritus ipſe Sanctus per Paulum ſanctum apoſtolum ſententiam hanc pronuntiauit: multifariam multíſque modis olim Deus loquutus eſt patribus in prophetis. Vide, quia multifariam multíſque modis loquutus eſt Deus. Vt enim medicæ artis peritus non eandem ſemper medelę ſpeciem offert, ſed quod vnicuique accōmodum nouit & conducibile medicamentum, dignoſcens regionem, morbum, horam, temporis opportunitatem ſcilicet, habitudinem corporis & ætatem. Et quidem infanti ſpeciem alteram, alteram ei offert qui perfecta adoleuit ætate. Aliud item infirmo, aliud valenti. Et vnicuique infirmorum non idem adhibet medicamētum, ſed aliud pro habitudinis ac morbi cōditione. Aliud item æſtatæ,

*in pro per, dialecto Hebraica.

Collatio à ſimili elegans.

æſtate,aliud Hyeme: Autumno aliud, aliud vere.
Et in vnoquoque loco pro commoditate loci. Ad
eundem modum & præſtantiſſimus hic animarũ
medicus, infantibus adhuc & qui iniqua valetu-
dine conflictantur,nimirum qui ad idololatriam
propendentes Idola Deos deputant & ipſis quaſi
diis venerabundi prócidunt,Dei verò veneratio-
nem auerſantur & gloriam Deo debitam, crea-
turæ exhibent, iſtis interdixit pictura imaginũ.
Dei verò imaginem deſcribere nemo queat,quã-
doquidem incorporeus eſt, inuiſibilis, nec vlla
materia,figura, circunſcriptione, aut mentis in-
telligentia comprehendi poteſt. Quo enim pa-
cto numen illud quod nulli ſe reddidit conſpi-
cuum aut viſum ſit, exprimi poterit per imagi-
nem? Deum enim nemo vidit vnquam. Vnige- *Ioan.*
nitus filius qui eſt in*ſinibus patris, ipſe enarra- *ἐν κόλ-*
uit. Et, Nemo videbit faciem meam, & viuet, di- *ποις.*
xit Deus. Quia verò colebant Idola veluti dij eſ-
ſent, audi quid dicat ſcriptura in*exitu filiorum *ἐν ἐξόδῳ*
Iſraël,quo tempore aſcendit Moyſes in montem *vel exitũ de Aegi-*
Sina & aliquantum moræ traxit aſſidens Deo, vt *pto vel in*
legem acciperet, quo tempore aduerſus Aaronẽ *eo lib. qui Exodus di-*
famulum Dei coortus eſt ingratus ille ac perfidus *citur.*
populus, dicens: fac nobis Deos qui præcedant
nos. Homo enim hic Moyſes, neſcimus quid ac-
ciderit ei. Denique quum ab vxoribus ſuis ſuſtu-
liſſent mundum muliebrem & ex eo conflaſſent
vitulum,comederunt,biberunt & inebriati ſunt

vino ſimul & errore ac cœperunt ludere, in ſua inſipientia dicentes, Hi ſunt dij tui Iſraël. Vides eos Idola habuiſſe pro diis. Non enim fecerunt Iouis Idolum, ſiue huius, aut illius: ſed vt ſors tulit. Dederunt ipſi aurum, vt ex eo Idolum conflarent, quod fortuitò ac temerè contigit & aſcendit* effigies capitis bubuli. Itaque eiuſmodi conflatilia ſimulachra cenſebant eſſe Deos, eaq; adorabant vt Deos, quæ quidem efficiebantur dæmonũ domicilia. Et quia deſerto creatore, creaturæ latriam ſoli Deo debitam offerebãt, vti eximius ait Apoſtolus, qui & immutauerunt gloriã incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis & volucrum & quadrupedum & ſerpentium, & latriam exhibuerunt creaturæ relicto creatore, ob id illis Deus omni expreſſione ſimilitudinis interdixit. Eum noui qui minimè fallendo dixit: Dominus Deus tuus, Dominus vnus eſt. Et, Dominum Deum tuum adorabis & ei ſoli* ſeruies. Et non erunt tibi dij alij. Et, Non facies ſculptilem omnem ſimilitudinem eorum quæcunque ſunt in cœlo & quæcunque ſunt in terra. Et, Confundantur omnes qui adorant ſculptilia. Et, dij qui cœlum & terram non fecerunt, diſpereant. Et quæcunque ad formulam conſimilem olim Deus loquutus eſt patribus, qui & in nouiſſimis diebus loquutus eſt nobis in vnigenito filio ſuo, per quem fecit & ſecula. Noui eum qui dixit, Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcãt

ἐκτύπωμα βουκράνου.

Rom. 1. c.

vel latriã offeres λατρεύσεις.

te ſolum viuentem & verum Deum,& quem miſiſti,Ieſum Chriſtum.Et,Credo in vnum Deum, vnam omnium quæ ſunt, principem originem: carentem principio,increatum,nec vlli obnoxiũ interitui nimirum immortalem,æternũ ac ſempiternum, incomprehenſibilem, incorporeum, inuiſibilem,incircunſcriptum,figuræ omnis expertem,vnam ſuperſubſtantialem eſſentiam,ſupereminentẽ diuinitatẽ in tribus perſonis Patre & filio & Spiritu ſancto. Huic vni ſeruio & exhibeo latriæ venerationem,vnum Deum adoro, vnam diuinitatem agnoſco. Quinetiam trinitati perſonarum latriam offero Deo patri & Deo filio incarnato, & Deo Spiritui ſancto: non tribus diis, ſed vni:non diſparatis ſubſtantiis, ſed eſſentia vnitis perſonis:non tres adorationis formulas offero,ſed vnam:non ſeorſim cuique perſonarum,ſed vnitè tribus perſonis tanquam vni Deo vnam exhibeo venerationem. Non adoro creaturam, potiùs quàm creatorem: ſed ipſum creatorem redimendi mei gratia factum creaturam & qui ad creaturam deſcendit nihil abiectè & citra vllam imminutionem ſuæ maieſtatis, vt gloria meam illuſtraret naturam & diuinæ efficeret conſortem naturæ. Cum hoc rege & eodẽ Deo purpuream adoro trabeam aſſumpti corporis, non quaſi veſtimentum, neque vt quartam perſonam,abſit,ſed perinde ac ſimul nuncupatã Deum, quam inuertibiliter perunxit gratiæ plenitudo

Quæ protinus ſequũtur habes & in primo.

* ὁμόθεον χρηματίσαντ' ἀλουργίδα.

nitudo. Non diuinitas facta eſt natura carnis: ſed quemadmodum verbum incommutabiliter factum eſt caro, manens quod priùs erat: ita & caro facta eſt verbum nihil perdens quod vtique eſt, imò veriùs ſecundum hypoſtaſin coünita verbo, quamobrem ſpe bona cõfirmatus Deũ inuiſibilem qui noſtræ ſalutis procurandæ cauſa particeps eſſe voluit carnis & ſanguinis, auſim per imaginẽ exprimere. Non imagine quidẽ exprimo inuiſibilẽ ipſam diuinitatẽ, ſed per imaginẽ, à Deo aſſumptã ac viſam carnẽ repræſento. Si enim animã ipſam effigie vlla nemo queat repręſentare, quãtò magis nec eũ poterit, qui animę cõtulit, vt cõcretioris materiæ expers eſſet? Sed obiiciũt iſti Deum dixiſſe per Moyſen ſuæ legis latorem: Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſeruies. Et, Non facies tibi omnem ſimilitudinem eorum quæcunque in cœlo ſunt, & quæcunque in terra. fratres, prorſus iſti in errore verſantur neſcij, quia litera quidẽ occidit, ſpiritus autem viuificat, non perſcrutantes medullã ſpiritus ſub cortice literæ deliteſcẽtem, quibus meritò reſponderim, Qui vos hoc docuit, diſcat id quod & hinc cõſequitur. Diſce, quánam verborum formula præſcriptam ſententiam interpretetur ipſe legiſlator, ſic ſanè propemodũ in Deuteronomio dicens: Et loquutus eſt dominus ad vos è medio ignis. Vocem verborũ vos audiſtis & ſimilitudinem non vidiſtis, præterquam vo-

cem. Poſt pauca, Et cuſtodite valde animas veſtras: quia ſimilitudinem non vidiſtis die qua loquutus eſt Dominus ad vos in Horeb, in mōte è medio ignis, ne fortè* peccaretis & faceretis vobis ipſis ſculptilem ſimilitudinem, omnem imaginem, ſimilitudinem maſculini ſexus aut fœminini, ſimilitudinem omnis iumenti eorum quæ gradiuntur ſuper terram, ſimilitudinē omnis volucris pennatæ, & quæ ordine ſequuntur. Poſt pauca, Ne forte ſurſum attollens oculos in cœlum & videns Solem & lunam & ſtellas & omnem ornatum cœli, errore correptus adores ea, & latriam eis exhibeas. Vides, vt vna ſit mens & intelligentia: vt ne creaturæ, deſerto creatore ſeruirent, neque offerrent creaturæ Deo debitā latriam, præterquā ſoli creatori? Quocirca vbiq; connectit adorationi latriam. Rurſus enim ait, Non erunt tibi dij alij, præter me. Non facies tibi ſculptilem omnem ſimilitudinem. Nō adorabis ea, nec vllo vnquam tempore latriam eis offeres, quia ego ſum Dominus Deus veſter. Rurſum, Altaria eorum ſubuertite, ſimulachra eorū conterite, ſculptilia deorum eorū igni comburite. Nunquam enim adorabitis Deum alterum. Poſt pauca, Deos conflatiles non facies tibi. Vides, vt Idololatriæ vitandæ cauſa pictura interdicat imaginum? Deum enim, qui quātitatis totius expers eſt, incircunſcriptilis & inuiſibilis, nemo queat effigie vlla repreſentare. Ait enim

*ἀνομήσητε trāſgrederemini legem.

n Moyſes,

Moyſes, non enim ſpeciem eius vidiſtis, quem-
Act. 17. admodum & Paulus in medio ſtãs Ariopagi ait: Genus igitur quũ ſimus Dei, non debemus exiſtimare auro aut argento, aut lapidi ſculpturæ artis & cogitationi hominis, diuinum eſſe ſimile. Iudæis enim quòd procliuiores eſſent ad Idololatriam, Hæc lege præſcripta ſunt: nos autem quibus datũ eſt de Deo diſſerere, facilè vitamus errorem gentilitiæ ſuperſtitionis, & cũ Deo ſynceriter verſamur, quippe qui agnouimus veritatem, vt ſoli Deo latriã exhibeamus ditati perfectione diuinæ cognitionis, & occurramus in virum perfectum, & vitantes iuuenilem leuitatem non iam ſumus ſub pedagogo, accepto Dei munere, habitu diſcretionis, ſcientes etiam quid repræſentetur per imaginẽ, quid item nulla queat circunſcribi imagine aut definiri. Lex enim nobis ad Chriſti cognitionem prouehẽdis fuit pædagogus, vt per fidẽ iuſtificaremur. Quum enim per ætatem parum eſſemus cordati & imprudẽtes, mundi iſtius elemẽtis ſeruiebamus. Simul autem atque fides aduenit, iàm ampliùs non ſumus ſub pædagogo. Non enim ſpeciem eius vidiſtis, ait ſcriptura. Papæ quanta erat ſapientia iſtius legiſlatoris. Quî enim poſſit vlla imagine exprimi quod inuiſibile eſt? Quo pacto per imaginẽ repreſentabitur quod nulla poteſt abumbrari ſimilitudine? Quomodo per picturam deſcribetur quod quantitate vacat & mole magnitudinis,

quod

quod infinitũ eſt, omniq́ue caret forma? Quod incorporeum eſt, quónam pacto per temperaturam colorum ſe ſpectandum præbebit? Quónã modo quod figuræ omnis expers eſt, vlla effigie exprimetur? Quid ergo per hoc myſticè denuntiatur? Nimirum, vt ne nunc quidem eum exprimas imagine qui eſt iuuiſibilis. Vbi verò videris eum qui incorporeus erat, factũ eſſe hominem propter te: tunc ipſum ſub humana effigie exprimito. Quum is qui inuiſibilis erat ſe reddiderit per carnis trabeam, viſibilem: tunc imaginẽ depingito. Quum is qui ſingulari propriæ naturæ præſtantia, ab omni dimenſione quantitatis, amplitudinis & magnitudinis in forma Dei exiſtebat, forma ſerui accepta, per eam contraxerit ſe ad quantitatem & amplitudinem, ſibíque adaptarit figuram corporis, tunc in tabellis eum depingito ac palàm expone ad commune ſpectaculũ qui ſuſtinuit ſe exhibere viſibilem. Inenarrabilem eius demiſſionem per figuram exprime. Ipſius ex virgine generationem, baptiſmum in Iordane, in Thabor trãſfigurationem, paſſiones quæ nobis conciliant circa perturbationes animi immobilitatem & conſtãtiam, miracula vtique argumenta diuinæ eius & naturæ & operatoriæ virtutis per efficacem operationem carnis deſignata ac perfecta, ſalutarem ſaluatoris ſepulturam, reſurrectionem, in cœlum aſcenſionem, nihil non horum & ſermone & coloribus ex-

prime, inque libris & pictoriis tabellis, Non facies (ait) tibiipſi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem. Sed enim ait ſcriptura Deo iubente feciſſe eos hæc: Velum tabernaculi teſtimonij ex hyacintho & purpura & coccino* filato & byſſo* retorta opus textile Cherubim, & fecerunt propitiatorium à parte ſuprema arcę, ex auro puro & duos cherubim. Quid facis ô Moyſes? Tu vetas ne quis ſibi ſculptile faciat, nõ omnẽ ſimilitudinẽ, & tu velum inſtruis opus videlicet textile Cherubim, duos item Cherubim ex auro puro? Sed enim audi quid tibi Moyſes Dei famulus ex contrario reſpondeat: O cæci & ſtulti, intelligite eorum vim quæ dicuntur: Et cuſtodite valde animas veſtras. Equidem dixi, quia ſimilitudinem non vidiſtis in die qua loquutus eſt Dominus ad vos in Horeb, in monte è medio ignis, ne forte peccaretis, & faceretis vobis ſculptilem ſimilitudinem, omnem imaginem. Et deos conflatiles non facies tibiipſi. Non dixi, non facies imaginem quæ repræſentet Cherubim, tanquã ſeruorum proximè adſiſtentium propitiatorio: ſed non facies tibiipſi deos conflatiles, & non facies omnem ſimilitudinem, quaſi Deos. Nullo vnquam tempore latriam exhibebis, præterquã creatori. Sanè Dei imaginem nullam depinxi, nec verò alterius vllius creaturæ tanquam Dei. In ſeruitutem enim peccati redacta eſt humana natura. Neque vlli creaturæ, præterquã creatori

*νενησμένου.
*κεκλωσμένης.

tori exhibui latriam. Omnis autem creaturæ aſſimilatione adornaui tabernaculum ſecundum exemplar mihi demonſtratum in monte & Cherubim qui obumbrabant propitiatorium tanquam Deo adſiſtentes. Vidiſti quàm perſpicuè innotuerit mens ſcripturæ, ſcitè ac ſolerter eam perſcrutantibus. Vos enim dilectiſſimi noſſe oportet in omni re quæri veritatem & mendacium, nimirum eius qui quidpiam faciendum aggreditur intentionem, boná ne ſit, an mala. In euangelio enim & Deus & angelus, Homo, terra, aqua, ignis, aër, Sol, Luna, aſtra, lux & tenebræ, Satanas & dæmones, ſerpentes & ſcorpij, vita & mors, infernus, virtutes & malitiæ, denique omnia bona perinde ac mala ſcripta ſunt. Sed enim quando ea quæ de his prædicantur, vera ſunt, & intentio recta contendit ad Dei gloriam & ſalutem noſtram, & gloria quidem ſanctorum eſt qui à Deo gloriam accipiunt, dedecus verò & ignominia eſt diaboli ac dæmonum ipſius: tunc veneramur Deũ, circumplectimur, deoſculamur, oculis inſuper labiis & corde erga eum charitatem noſtram conteſtamur. Pari ratione, omne vetus ac nouum teſtamentum, libros item ſanctorum & approbatorum patrũ, & contrà ſpurcam, execrabilem & impuram ſcripturam quæ deteſtabilium Manichæorum nomina continet, ad gloriam diaboli & dæmonum eius, ad animarum perditionem adinuentam deſpuimus & à

nobis propellimus. Eadem prorſus ratio ineunda eſt & de imaginibus: exquirenda eſt veritas & intentio cur pingantur. Quòd ſi ea cōperietur vera fuiſſe, recta & ad Dei ſanctorūq; eius gloriā, ad imitationem virtutis & fugam malitiæ, denique ad animarum ſalutem: cōprobandæ veniūt imagines & honorandæ, perinde ac effigies, imitationes, ſimilitudines ac libri illiteratorū, quaſi commonitio quædam & ad memoriam reuocatio. Adorandæ igitur ſunt, oſculo excipiendæ ſalúſque eis impertienda oculis, labiis & cordis affectu, ſicuti eſt expreſſa ſimilitudo Dei incarnati, ſiue matris aut ſanctorum qui Chriſti paſſionibus communicarunt pariter & gloriæ, qui ex diabolo ac dæmonibus inſignem victoriam reportarunt, eorúmque culturam execrabilem ad nihilum redegerunt, ſimul & errores. Quòd ſi quis audebit depingere imaginem diuinæ maieſtatis repreſentatiuam, quum expers materiæ ſit nec corpus recipiat, tanquam mendacem porrò à nobis depellimus. Si quis rurſus ad gloriam, honorem & venerationem diaboli aut dæmonū eius, talē deſpuimus & abſumimus igne. Si quis hominum, iumentorum, volucrum, ſerpentum aut alterius cuiuſque tandem creaturæ imaginē pro Deo depinxerit aut adorarit, talem percutimus Anathemate. Quemadmodum enim patres ſancti demonum ſacra ac templa diruerunt, & in eorum locis ad gloriā diuini nominis ac ſan-

ctorum

ctorum templa excitarunt quæ & ipſi colimus: ita & imagines Dæmonum peſſum dederũt ſancti illi patres, próque illis erexerunt imagines Chriſti, matris eius & ſanctorum quas & ipſi colimus. Et quidem in vetere teſtamento Iſraeliticus ille populus nullius hominis nomine erexit templa & nullius celebrem ſtatuit memoriam. Adhuc enim humana natura ſubiacebat maledicto, & eius condemnatio erat mors: eoque luctu & lamentis proſequebãtur mortuum & qui morticinum tetigiſſet, immundus reputabatur. Nunc verò poſtquam diuina maieſtas citra omnimodam confuſionem noſtræ ſe attemperauit naturæ, veluti viuificum quoddam & ſalutare pharmacum, noſtra proculdubio natura glorioſior effecta eſt, & ad incorruptionem reformata eſt, eoque & templa ipſis excitantur & imagines eorum nomine per picturã produntur. Sciat igitur homo omnis, quòd quiſquis conatur abolere ac demoliri imaginẽ deſyderio & pio zelo inſtitutã ad gloriã & commemorationẽ Chriſti aut eius matris ſanctæ Deiparæ ſiue alicuius ſanctorũ, ad dedecus autem & ignominiã diaboli, ad exprimendam inſuper victoriam de ipſo ac dæmonibus eius relatam, neque eam veneratur, nec vllo afficit honore, non eam flagranti deſyderio eius qui per eam exprimitur, amanter excipit quaſi eius effigiem, non quaſi Deum: talis inimicus eſt Chriſti, ſanctæ item Deiparæ ac ſanctorum

ctorum, vltor autem diaboli & dæmonum eius, re ipſa declarans ſe iniquo ferre animo Dei & ſanctorum eius honorē atque gloriam, tum quia dedecore & ignominia aſpergitur diabolus. Eſt enim imago, triumphus, manifeſtatio & veluti inſcriptio tituli ad perpetem memoriam victoriæ per eos partæ qui quàm fortiſſimè reſtiterūt vitiis & morum ſplendore inclaruerunt, ad recordationem eorum qui per ignominiam deuicti ſunt & proſtrati. Sæpenumero vidi qui magnopere expeterent contueri vel veſtem eius cuius tenebātur deſyderio, ſtrictim veſtem ipſam, quaſi deſyderatum complecterētur, ſicque oculis ac labiis eam ſibi eſſe chariſſimam. Iuxta S. Apoſtoli Pauli doctrinam reddenda ſunt omnibus debita, cui honorem debemus, rependamus honorem. Et regi quaſi præcellenti, principibus autem, tanquam à rege miſſis. vnicuique ſuus habendus eſt honor pro modo dignitatis. Quónā loco quiuiſti deprehendere in lectione veteris teſtamenti aut euangelij perſpicuè adſcriptum trinitatis nomen aut conſubſtantiale aut vnam diuinitatis naturam, aut tres perſonas verbotenus, aut vnam Chriſti perſonam aut certè duas eiuſdem perſonæ naturas. Cæterum quādo ſancti patres hæc ita ſe habere definierunt per æquipollentes dictiones in ſcriptura poſitas, nos ea accipimus & eos ferimus anathemate qui non admittunt. Ego autem tibi in medium affero ex

antiquo

antiquo teſtamento Deum præcepiſſe, vt deſcribas imagines. Primū quidem, ipſum tabernaculū & quæ in eo fuerunt, omnia. In euangelio quoq; ipſe Dominus his qui tentantes eum interrogabant, An liceret cēſum dare Cæſari, dixit: in medium depromite mihi numiſma & * oſtenderūt ei denarium & interrogauit eos, cuius haberet imaginem. Illi verò reſpōderunt, Cæſaris. Dixit Ieſus, Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Ex quo imaginem habet Cæſaris, Cęſaris eſt, reddite Cæſari. Et Chriſti imaginem, reddite Chriſto: Chriſti enim eſt. Dominus beatos prædicās diſcipulos, dixit: Multi reges & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis & non viderunt: & audire quæ auditis & non audierūt. Veſtri autem beati ſunt oculi, quia vident: & aures, quia audiunt. Viderunt igitur apoſtoli corporeis oculis Chriſtum, eiúſque afflictiones & miracula & audierunt ipſius ſermones. Cupidè & nos expetimus videre & audire ac proinde beatificari. Viderunt illi facie ad faciem: quandoquidem corporali aderat ſpecie. Nos autem quando non iam adeſt, perinde atque per libros audimus ipſius ſermones & per auditū ſanctificamur, pérque eundem animā exornamus ſanctitate, proinde & beatificamur & adoramus honori habētes libros per quos ipſi exaudimus ſermones Chriſti. Conſimili ratione & per picturā imaginum contemplamur expreſſionem figuræ

* ὑπέδιαξαρ.

eius,miraculorum,afflictionum ipſius, proinde & ſanctificamur ac plenam de his fidem cōcipimus animo,gaudemus,beatificamur,colimus,honoramus & adoramus corporalem ipſius effigiē. Dum interim ſpeculamur corporalem eius figuram,quatenus mens poteſt humana, rapimur ad recolendam animo gloriam diuinæ maieſtatis. Quum enim duplici cōſtemus natura,anima nimirum & corpore conditi,nec anima noſtra nuda eſt:ſed velut tectorio quopiam obuelatur,impoſſibile eſt nos prouehi ad intellectualium cognitionem,ſiue organo corporali. Quemadmodum igitur auribus corporeis percipimus ſermones ſenſibiles & ſpiritualia intelligimus: ita & per corporalem ſpeculationem pertingimus ad ſpiritualem contēplationē. Eam ob rem aſſumpſit Chriſtus corpus & animam. Quandoquidem corpus & animam habet homo:ob hoc baptiſma duplex eſt aquæ & Spiritus. Et communicatio & oratio & pſalmodia omnia duplicia, corporalia & ſpiritualia,& luminaria & thymiamata:ſed his omnibus Diabolus contra ſolas imagines toto conatu coortus eſt ac proſiliuit,tantáq; ei innata eſt inuidia aduerſus imagines, vt in * Pratenſi opere ſancti Sophronij patriarchæ Hieroſolymitani ſic ſcriptum eſt:Dicebat Abbas Theodorus Æliotes incluſum quēdam ſediſſe in monte oliuarū ſpiritualem concertatorē. Hunc vſquequaque oppugnabat fornicationis ſpiritus. Vna

* ἐν λειμω ναρίῳ.

igitur

igitur dierum, quum illi vehemẽter immineret, cœpit ſenex lamentari ac dæmoni dicere: Quouſque tandem non remittis hunc aduerſum me conflictum? Abſiſte, quæſo te deinceps. mecum enim colluctás conſenuiſti: Huius oculis ſe dæmon conſpicuum exhibet, dicens: Iureiurando confirma te non reuelaturum quod ſum tibi dicturus, nec iam te oppugnabo. Iuramẽto ſe ei obſtrinxit ſenex, quia per eum qui in altiſsimis habitat, nemini ſum proditurus quæ mihi dixeris. Tunc ait Dæmon: Ne adoraueris hanc imaginẽ, nec iam amplius te oppugnabo. Continebat autem ea imago expreſſam effigiem Dominæ noſtræ ſanctæ Mariæ Deiparæ baiulantem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Ecce quem imitantur qui adoratione imaginum interdicunt & cuius ſunt * organa. Vt ne enim imago Dominæ adoraretur prælegit Dæmon, quàm vt in fornicationis barathrum præcipitaret ſenem, quòd planè noſſet eiuſmodi peccatum eſſe tantò grauius fornicatione corporis. Sed enim quia de imagine ſermo eſt & eius adoratione, age de his fuſiore diſtinctione diiudicemus, & primo loco dicamus quid ſit imago. Secundo, cur facta ſit. Tertio quot differentię ſint imaginum. Quanto, quid per imaginem exprimatur, quid item non queat exprimi per imaginẽ. Quinto loco, quis primus imagines pictorio penicillo deſcripſerit. Secundum hæc & de earum adoratione. Primum,

*ὄργανα: Inſtrumẽta.

mum,quid ſit adoratio. Secundum, quot adorationis modi. Tertium,quot in ſcriptura deprehendimus quæ venerationem adorationis receperunt. Quartum,quia adoratio omnis introducta eſt propter Deum ſuapte natura adorãdum. Quintũ, quia honor exhibitus imagini ad prototypum tranſit.

Primum declaratur quid ſit imago.

Imago ſanè eſt aſſimilatio, exemplum & expreſſa effigies alicuius in ea declarans quod per eam exprimitur imaginem. Imago autem non omni ex parte prorſus reſpõdet prototypo, hoc eſt rei expreſſæ per imaginem. Aliud ſiquidem eſt imago & aliud quod per imaginẽ repræſentatur. Velis nolis, diſcrimen in his conſpicitur, alioqui non aliud hoc & aliud illud. cuiuſmodi eſt quod dico:imago hominis etiam ſi corporis exprimat effigiem, ſed animales non habet virtutes. Neque enim viuit,neque ratiocinatur,neque vocem vllam edit, neque ſentit, neque mouet membrum. Et filius quum ſit imago patris ſuapte natura, ad ipſum relatus quiddam habet quod non idem ſit cũ eo,filius enim & nõ pater.

Secundum, cuius gratia eſt imago.

Imago omnis rei cuiuſpiam arcanæ & reconditę enarratiua eſt & demonſtratiua. cuiuſmodi eſt quod dico:Homo quandoquidem non habet apertam cognitionem rei inuiſibilis,quòd anima tectorio corporis adoperta ſit, non item eorum notitiam

notitiam obtinet quæ ſe euentura ſunt, neque eorum quæ ſitu loci ſunt diſparata & abſunt,(loco ſiquidem & tempore homo circunſcribitur.) eoque ad deductionem cognitionis, declarationem & publicam demonſtrationem arcanorum excogitata eſt imago. Sanè ad publicam vtilitatem, gratiam & ſalutem prorſus adinuenta eſt, vt eorum quæ nota infamiæ ſugillantur & veluti de his publicus agitur triumphus, occulta internoſcamus, vt & quæ quidem bona ſunt, cupidè expectamus & ad imitationem excitemur: quæ verò contraria, nempe mala, auerſemur & oderimus.

Tertium, quam multæ ſint imaginum differentiæ.

Imaginũ differentiæ hæ ſunt. Sanè prima imago eſt naturalis. Porrò in vnaqua re in primis oportet, vt ſit per naturam, dein vt poſitione ſit & imitatione. Verbi gratia, primum oportet hominem natura eſſe, dein poſitione per imitationẽ.

Prima igitur naturalis imago nec aliquò euariãs ſed per omnia ſimilis ĩuiſibili Deo eſt filius Patris in ſeipſo demonſtrans Patrẽ. Deum enim nemo vidit vnquam. Rurſus, Non quia Patrem quis vidit. Nam quòd Imago patris ſit filius, Apoſtolus aſſerit, Qui eſt imago inuiſibilis Dei. Et ad Hebræos, qui quum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius. Tum quia in ſeipſo oſtendit eſſe Patrem, quum iuxta Ioannis euangelium, dixiſſet Philippus, oſtende nobis Patrem & ſuffi-

Primus modus imaginis.

Col. 1.c.
Heb. 1.a.

cit nobis, reſpondit Dominus, tanto tempore vobiſcum ſum, & non * cognouiſti me Philippe? *Qui vidit me, vidit & Patrem. Eſt quidem filius, naturalis imago patris, incommutabilis, per omnia ſimilis patri, niſi quia ingenitus eſt pater & nomenclaturam retinet patris. Pater enim genitor eſt, quum ſit ingenitus: filius autem genitus, non item pater eſt. Spiritus verò ſanctus imago eſt filij. Nemo enim poteſt dicere Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto. Itaque per Spiritum ſanctum nouimus Chriſtum eſſe filium Dei & Deum. Et in filio videmus patrem. Natura enim intelliguntur verbum, angelus. Porrò Spiritus ſanctus indicatiuus eſt verbi. Eſt enim Spiritus ſanctus imago filij ſimilis nec vlla re ab eo euarians: hoc ſolo differt, quia procedit. filius enim genitus non item procedens eſt. Filius autem patris eſt vtriuſque imago naturalis. Et hic quidem primus modus accipiẽdæ imaginis, naturalis eſt.

*ἐκνώκασμε. noſti
*ὁ ἑωρακώς,

2. Modus Imaginis.

Secundus ſumẽdæ imaginis modus eſt in Deo eorum notitia quæ ab ipſo producenda erant: hoc eſt, voluntas ipſius prægreſſa ſeculorum conditionem, eodem modo & conformiter ſe habẽs ſemper. Inuertibile enim & immotum eſt numẽ illud, nec principium habet eius voluntas, qua quemadmodum ante condita ſecula decreuit, in tempore præfinito ab ipſo fiunt vniuerſa, quæ videntur. Imagines enim & exemplaria rerum ab ipſo producendarum, de vnoquoque eorum

notitia

notitia præfinitiones à ſancto Dionyſio nominantur. In eius enim voluntate & conſilio præfigurata erant & velut imagines diſcripta, priuſquam fierent, quæ ab ipſo præfinita & incõmutabiliter futura. Tertius imaginis modus, qui 3. *Modus.* per imitationem à Deo fit. hic eſt, Homo. Quo enim pacto is qui creatus eſt, eiuſdem poſſit eſſe naturæ cum eo qui nunquam creatus eſt? Atqui ſimilis eſſe poteſt imitatione. Quemadmodum mẽs qui & Pater, & verbum qui & Filius, & Spiritus qui & ſanctus, vnus Deus: ita & mẽs & Verbum & Spiritus vnus homo, tum propter arbitrij libertatem, tum ob principalẽ animæ facultatem. Dicit enim Deus, faciamus hominem ad imaginem noſtram & ſimilitudinem, & confeſtim ſubiecit, Et præſint piſcibus maris & volucribus cœli. Rurſus, Præeſte piſcibus maris & volucribus cœli & omni terræ & dominabimini ei. Quartus imaginis modus, ſcripturę eſt ſeu 4. *Modus.* picturæ, habitus, formas, figuráſque effingentis & conformantis rerum inuiſibilium & incorporearum, corporali figura expreſſarum ad qualencunque & ſubobſcuram cognitionem Dei & angelorum, eò quòd ipſi nequimus aſſurgere ad contemplationem rerum incorporearum, niſi ad eam pro modulo noſtri captus ſubuehamur qualicunque imaginum figuratione, quemadmodum aſſerit aſſiduus circa diuinam ſcripturam Dionyſius Areopagita. Proinde ſi ſcriptu-

ra diuina qualicunque noſtræ capacitati proſpiciens, vndequaque ſuggerit ea quibus mentem noſtram ad ſuperna ſuſtollat, & iis quæ naturæ ſimplicis ſunt nec formæ vllius ſunt capacia, quaſdam accommodat formas: qua ratione non etiam per imaginum deſcriptionem ea exprimet quæ ſuapte natura figuris conformata ſunt, quæ & deſyderantur quidē, quod autem abſint, videri non queunt? Ait quippe deiloquus Gregorius, quia intellectus quanlibet anxiè ſe defatiget, nequit tamen elabi prorſus & excedere memoria rerum corporalium. Quinetiam inuiſibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Sanè in creaturis perſpicimus imagines quæ & nobis obſcurè licet, denuntiant tacitas quaſdam ſignificationes rerum diuinarū, veluti quum dicimus ſanctam Trinitatem omni principiato ſuperiorem ſimilitudine exprimi Solis, radij & luminis. aut fontis vbertim ſcaturientis, fluenti deſtillantis & oſtij cuiuſpiam fluuij in mare ſe exonerantis. aut mentis, ſermonis & ſpiritus noſtri: aut certè roſæ, plantæ aut floris & eius ſuauis fragrantiæ. Quintus ſumendæ imaginis modus dicitur quo futura quaſi imagine præludūtur ac per picturā præſignātur, veluti Rubus & pluuia in vellus virginē & Deiparā delineabat affuturā. item Virga & vrna, & quemadmodum ſerpens eos qui per crucē liberati fuerāt à morſu ſerpentis malorum omnium principis. aut

Nazianzenū intelligit.

Rom. 1. c.

5. Modus.

aut mare,aqua & nubes prælineabant Spiritum baptiſmatis. Sextus accipiẽdæ imaginis modus *6. modus.* tranſſumitur ad memoriam eorum quæ geſta ſunt,puta miraculi aut virtutis,ad gloriam & honorem necnon tituli inſcriptionem eorum qui quam fortiſſimè ſe geſſerũt,perque virtutis opera excellenter vixerunt: aut ad monimentum inſignis malitiæ, vt peſſimorum virorum nequitia triumphi in morem & ignominioſè ſugilletur. Poſtremò ad noſtram vtilitatem, qui nobis proſpicimus, vt mala quidem vitemus, *θεωμένων.* virtutes autem conſectemur. Duplex verò hæc eſt, per ſermonem libris inſcripta. Scriptura enim quaſi pictura exprimit ſermonem, quemadmodum tabulis Deus ſuam inſculpſit legem, virorũmque Dei amantium vitas iuſſit monimentis tradi, & per ſenſibilem cõtemplationem, quemadmodum vrnam & virgam reponi mandarat in arca ad perpetem memoriam, vtque edixit nomina tribuum inſculpi lapidibus ſuperhumeralis põtificij. Nec id ſolùm, ſed & lapides duodecim præcepit tolli è Iordane in typum ſacerdotum. Papæ quantũ hîc ſacramenti. Vt enim tunc verè credentibus maximum viſum eſt myſterium & tollentium arcam & aquæ momento deficientis: ita etiam nunc eorum imagines penicillo depictas ingenti cum affectu in publicũ proferimus qui virtute & generoſa animi fortitudine excelluerunt, ad refricandam nobis ipſorum

 rum

rum memoriam ſimul & in imitabile exemplũ. Aut igitur omnem aufer imaginẽ,& legem ſancito ei diſſentaneam qui ſcriptura teſte edixit,vt fierent:aut certè quâlibet excipito,iuxta rationẽ modum cuique congruentem.

Quartum caput declarat, quid effigie debeat exprimi, quid contrà non per imaginem exprimẽdum ſit & quo modo vnumquodque ſit per picturam exprimendum.

Corpora quidem quippe quæ figuras habent, circunſcriptionem & colorem, meritò per imaginem exprimũtur. Angelus item & anima atq; dæmon,etiam nihil poſſideant corporeum aut corpulentæ concretionis, ſecundum tamen ſuã ipſorum naturam effinguntur & circunſcribũtur. Intellectuales enim quum ſint in locis qui animo percipiuntur,intellectuali potẽtia & adeſſe creduntur & efficaciter operari. Corporali quidem effigie repræſentantur, ſicuti Moſes per effigiem expreſſit Cherubim, & quemadmodũ ſe præbuerunt ſpectãdos dignis:at certè per imaginem corpoream quæ repreſentaret cõtemplationem incorpoream & intellectu perceptibilẽ. Porrò natura diuina ſola eſt incircunſcriptibilis & expers formæ omnis, omníque prorſus vacuus figura atque incomprehenſibilis, etiamſi figuras Deo aſſignat ſcriptura diuina, corporeas quidem:vt conſpicuus,vt ipſi etiam incorporei ſpiritus conſpiciantur per effigies. Non enim ſe viſibiles prophetis exhibuerũt,oculis corporeis, ſed intellectualibus,his quoque quibus ſe reuelarũt.

larunt. Non enim paſſim ab omnibus viſi. Vt verò abſolutè dicam, effingere imagines poſſumus omnium quas nouimus, figurarum. Porrò hæc intelligimus, vti ſuperiùs viſum eſt. Etiamſi per ſermones nonnunquam mente ipſas apprehendimus figuras: at certè per eas noſſe liceat & ad notitiam incorporeorũ pertingere, ad eundem quoque modũ per ſingulos quoſque ſenſus, per quos aut odorem ſenſimus, aut guſtauimus, aut tetigimus, per ſermones ad eorum prouehimur cognitionem. Planè ipſi nouimus, quia impoſſibile ſit nudam naturam *perſpexiſſe Dei, angeli animæ ac dęmonis. Hęc veluti in tráſfiguratione conſpiciuntur, diuina prouidétia creaturis quæ nullam recipiunt impreſſionem figuræ aut formæ, figuras alioqui & formas accõmodãte, & his quæ ſuapte natura nullum admittunt corporalem habitum, vt per hoc veluti manuducamur ad eorum ſpirituũ planè craſſiorem & particularem notitiam, neque perſiſtamus in omnimoda ignoratione Dei aliarũmque incorporaliũ creaturarum. Deus enim natura prorſus abiunctus eſt à concretione corporis: Angelus autem, anima & dæmon ad Deum collati, ad eum inquá qui ſolus eſt incõparabilis, corpora ſunt. Atqui iidem comparati corporibus quæ quauis mole conſtant, incorporei ſunt. Deus igitur quum nolet nos prorſus neſcire incorpoream creaturam, adhibuit ei figuras, formas atque imagines,

*Corporeis ſcilicet oculis.

iuxta cuiuſque eorum naturæ proportionē. Formas corporeas exprimimus & conformamus in viſione mentali & immateriali apparentes. Verum enim vero ipſi Cherubini ſpiritus quanam forma, qua item imagine deſcripti ſunt? Quin etiam Dei formas & imagines cōtinet ſcriptura.

Quis omnium primus fecerit imaginem.

Deus ipſe primus genuit vnigenitum Filium ac Verbum ſuum, ſuam ipſius imaginem viuentem, naturalem, nec vlla ex parte euariantem ſuæ æternitatis characterem, fecítque hominem ad imaginem ſuam & ſimilitudinem. Adam quidē Deum vidit & audiuit vocem pedū eius deambulantis meridie & abſcondit ſe in paradiſo. Et Iacob vidit & cum Deo luctatus eſt. Perſpicuum eſt Deum ſub imagine hominis ipſi Iacob apparuiſſe. Moſes inſuper quaſi poſteriora hominis vidit. Eſaias tanquam hominem inſidentē throno. Daniël ſimilitudinem hominis vidit, & tanquam filium hominis venientem ad antiquum dierum. Atqui nemo Dei naturam vidit, ſed eius figuram & imaginem qui erat venturus. Filius enim, qui & inuiſibile Dei verbum, futurus erat homo in veritate, vt noſtræ coüniretur naturæ, & videretur ſuper terram. Venerati igitur ſunt omnes qui viderunt figuram & imaginem affuturi, quemadmodū Paulus ait Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos: Secundum fidem mortui ſunt omnes hi non reportantes promiſſiones: ſed à

Capit. 11.

longè

longè eas videntes & ſalutantes. Ego igitur non depingam imaginē, qui propter me in ſuſceptæ carnis natura viſus eſt? Non adorabo eũ, nõ honore afficiã & veneratione per imaginis expreſſionem? Vidit Abrahã non naturam Dei (Deum enim nemo vidit vnquam.) ſed imaginem Dei & pronus in terra adorauit. Vidit Ieſus filius Naue non naturam angeli, ſed eius imaginem, (Neque enim angeli natura corporeis cernitur oculis.) Et cadens adorauit. Conformiter & Daniël. Angelus autem non Deus, ſed creatura & ſeruus Dei eíque adſiſtens. Adorauit autem nõ vt Deũ, ſed vt Dei aſſeſſorem & miniſtrum. Et ego non exprimam imagine amicos Chriſti? Non eos colam? Non colam tanquam Deos, ſed procidam horum imaginibus tanquam amicorũ Dei. Neque enim Ieſus, neque Daniël quaſi Deos adorauerunt quos viſu teſte nouerãt eſſe angelos. Neque ego imaginem quaſi Deum veneror: ſed per imaginem & ſanctos, Deum veneror atque honoro, in cuius gratiam ipſius quoque colo amicos & reuereor. Non ſe vniuit Deus angelorum naturæ, ſed hominum. Non factus eſt Angelus Deus: factus autem eſt Deus natura & veritate homo. Certè enim non angelos apprehēdit, ſed ſemen apprehendit Abrahæ. Filius Dei ſecundum ſubſtantiam non eſt factus natura angelorum: factus eſt autem filius ſecundum ſubſtantiã natura hominis. Non participant Angeli, neque

effecti ſunt diuinæ conſortes naturæ, ſed operationis & gratiæ: homines autem & participant, & diuinæ efficiuntur conſortes naturæ, quicunque accipiũt ſanctum Chriſti corpus ac bibunt precioſum eius ſanguinem. Siquidem eius corpus diuinæ maieſtati ipſius coünitum eſt, & duæ naturæ in vno corpore Chriſti ſecundum hypoſtaſin, quod à nobis ſumitur, indiuulſè ſunt coünitæ: nóſque participes efficimur vtriuſque naturæ, corporalis quidem ſumendo corporaliter, diuinæ verò accipiendo ſpiritualiter, quin potius ambarum per vtriuſque inſeparabilem copulam. Secundum ſubſtantiam iidem efficimur. In primis enim in rerum natura ſubſiſtimus & tũc coünimur, & permiſcemur per corpus Chriſti & ſanguinem. Quánam ratione non præſtamus angelis qui ſynceram vnionem cuſtodimus per obſeruationem mandatorum? Natura quidem noſtra paulò minùs imminuta eſt ab Angelis, idque quòd obnoxia ſit morti & ob corpulẽtiam. facta alioqui eſt ipſis angelis præſtantior propenſa Dei erga nos volũtate & cõiunctione. diuinæ enim maieſtati angeli adſiſtunt cum timore & tremore, conſidenti ſuper thronũ gloriæ in Chriſto: quin iidem in iudicio adſtabunt cum tremore non vtique dormitantes, non item diuinæ participes gloriæ per ſcripturã dicti ſunt. Sunt enim omnes adminiſtratorij ſpiritus, ad miniſterium miſſi propter eos qui hæreditaturi

ſunt

ſunt ſalutem. Non autem, quia ſimul regnabunt: non item, quia ſimul glorificabuntur: non rurſus, quia ſedebunt ſuper menſam patris. Sancti ſiquidem filij Dei, filij regni, hæredes quidẽ Dei, cohæredes autem Chriſti. Honore igitur ſanctos cumulo, concelebro ſeruos, amicos & cohæredes Chriſti: ſeruos quidem, natura: amicos autem, propoſito liberæ voluntatis: filios verò & hæredes, ſolius Dei gratia, quemadmodum ait Dominus ad patrem. De imagine igitur quum à nobis dictum ſit, dicendum &*de Adoratione. Et primo quidem loco quid ſit adoratio. *περὶ προσκυνήσεως.

De Adoratione, quid ſit Adoratio.

Adoratio igitur ſignum eſt ſubmiſſionis qua videlicet demonſtrat quis ſe eſſe ſubiectum, ſéq; humiliat.

Adorationis modi ſanè plurimi ſunt. Quot ſunt Adorationis modi?

Primus Adorationis modus fit per latriam, quã ſoli Deo ſuapte natura adorando exhibemus. Et hæc iuxta differentes modos. Ante quidem omnes, per modum τῆς δουλείας, id eſt, ſeruitutis. Adorant enim Deum creaturæ omnes, tanquam ſerui ſuum dominum iuxta illud, Quoniam omnia ſeruiunt tibi. Et alij quidẽ vltronea adducti voluntate: alij è diuerſo inuitè. Et illi quidem cognitione Dei perſuaſi quotquot piè viuunt, multa cum animi propenſione adorant: alij contrà, cognoſcentes quidem, at reclamantes, adorant alioqui licet inuitè, ceu ſunt dæmones. Alij rurſus *Primus modus.*

ignorã-

ignorantes natura eſſe Deum, adorant & hi coa-
2. modus. ctè quem neſciunt. Secundus modus per admi-
rationem fit ac deſyderium quo ipſi Deum ado-
ramus ob glorioſam eius maieſtatem ac dignita-
tem quæ illi naturalis eſt. Solus quippe eſt omni
gloria celebrandus, non ex alio aliquo eam poſ-
ſidēs gloriam: quin potius ipſe ſibi eſt totius au-
thor gloriæ, bonitatis totius incomprehenſibile
lumen, incōparabilis dulcedo, pulchritudo im-
menſa, bonitatis abyſſus, ſapientia imperueſti-
**ἀπειρο-δύναμος δύναμις.* gabilis,* virtus infinitæ potentiæ, Solus per ſe di-
gnus quem demirentur omnes, adorent & glori-
ficandū prædicent totaque expetant animi pro-
3. modus. penſione. Tertius modus eſt gratiarū actionis
pro bonis collatis. Debēt enim quæ ſunt, omnia
rependere Deo gratiarum actionem & perennē
illi offerre adorationem: quòd ab ipſo habeant
vt ſint, omnia & in ipſo conſiſtunt, quíque om-
nibus prolixè & affluenter ſua dona impertit, e-
**καὶ δίχα αἰτήσεως.* tiamſi* ne poſtuletur quidem ac idem omnes
vult ſaluos fieri & eſſe participes ſuæ bonitatis
nobiſcum peccatoribus agens longanimiter, qui
oriri facit ſolē ſuper iuſtos & iniuſtos, qui pluit
ſuper malos & bonos. Tum quia filius dei noſtrę
ſalutis cauſa factus homo eſt, nos etiā diuinę effe-
cit conſortes naturæ. Tum quia ei aſſimiles futu-
ri ſumus, ſicuti aſſerit Ioānes eximius ille Theo-
4. Adorādi modus. logus in Catholica ſua epiſtola. Quartus ado-
rādi modus fit per inopiam ac ſpē beneficia cō-

ſequen-

ſequēdi, quibus fit vt agnoſcamus nihil nos poſſe efficere eius ope ac præſidio deſtitutos aut obtinere quiduis boni, quare ipſum adoramus poſtulantes ab eo ſinguli quique noſtrûm quo nos intelligimus indigere quódque cupidè expetimus, nimirum eximi malis & bona aſſequi.

Quintus modus eſt pœnitentiæ & confeſſionis. Ipſi enim quando quiduis peccati admittimus, procidimus Deo, eúmque adoramus obſecrantes nobis indulgenter remitti delicta, vti addecet ſeruos minimè ingratos. Hic modus triplex eſt. Aut enim mœret quis & animo æger eſt præ teneritudine dilectionis, aut vt ne deiiciatur de ſpe beneficiorum Dei, aut certè terrore ſuppliciorū perculſus. Et quidem primus ex animi gratitudine profluit, deſyderio Dei & filiali affectu. Secūdus, mercenarius eſt. Tertius, ſeruilis. 5. Modus.

Quot in ſcriptura deprehendimus quæ adorationem excipiunt, quot item modis adhibemus creaturæ venerationem.

Primum quidem his offerimus in quibus requieſcit Deus qui ſolus ſānctus & in ſānctis requieſcēs, vt in ſāncta virgine Deipara, omnibúſque ſānctis. Tales planè ſunt qui pro virili portione conformes ſe reddiderunt Deo ſuamet voluntate & deſtinato propoſito, per cohabitantē & cooperantē Deū qui & verè dij nuncupantur, ſed adoptione, non item natura: ſicuti & ferrum candens igni & eliqueſcens dicitur ignis, nō quidem natura ſed adoptione & participio ignis. Ait enim, ſāncti eritis, quia ego ſānctus ſum. Hoc Leuit. 19. 1. Modus.

primùm à libertate pendet propoſiti & voluntatis. Deinde omni qui certa deliberatione & animi deſtinatione proponit bonum Deus cooperatur in bonum. Huc facit illud, inhabitabo in eis & inambulabo. Et templa ſumus Dei, & ſpiritus Dei habitat in nobis. Ad hæc, dedit eis poteſtatem contra ſpiritus immundos, vt eos eiicerēt & ſanarent languorem & omnem infirmitatem. Et quæcunque facio & vos facietis & his maiora facietis. Poſt hæc, Viuo ego dicit Dominus, niſi glorificantes me glorificabo. Et, ſi compatimur, vt conglorificemur. Et, Deus ſtetit in ſynagoga Deorum: in medio autem Deos diiudicat. Quēadmodum igitur verè ſunt dij, non natura quidem, ſed veluti natura participes Dei: ita adorandi veniunt, non ſuapte natura, ſed in ſe continēt eum qui natura eſt adorandus, quemadmodum & ferrum ignitum non natura eſt tactui inacceſſum & adurens, ſed quia particeps eſt rei natura exuſtiuæ. Adorantur itaque ſancti, quippe qui à Deo gloria cohoneſtati ſunt, vt qui gratia Dei formidabiles effecti ſint hoſtibus noſtris & his qui cum fide ſe adeunt beneficia conferunt. Non illis cultum impendimus tanquam natura dijs & benefactoribus, ſed quaſi famulis ac Dei miniſtris, quíque fiduciam ipſum alloquendi ſortitò obtinuerunt merito charitatis erga eundem. Sanctos igitur adoramus, quandoquidem ipſe Imperator cōtemplatus famulum ſibi dilectum coli

Leuit. 29. 2 Cor. 6. Matt. 1.

coli tali obſequio demulcetur, famulũ inquam videns non quaſi imperatorem, ſed velut miniſtrum obtemperantem & imperata facientem & beneuolum amicum. Qui eos cum fide adeunt, ſuas accipiunt poſtulationes,ſiue famulo ab imperatore efflagitâte,ſiue Imperatore ipſo approbante honorem fidemque poſtulantis à famulo ſuo,per ipſum ſuam expoſuit poſtulationem. Ad eundem modum qui per Apoſtolos depoſcunt, conſequantur morborum medelam, vſqueadeò vt vmbra, ſudaria & ſemicinctia apoſtolorum fontis inſtar deſtillabant præſentanea medicamenta. Quotquot autem contumaces & trãſfugæ adorari perinde ac ſi eſſent dij,volũt: prorſus indigni qui adorentur, digni verò qui æterno igne exurantur. Rurſus, quicunque contemptim & per ſuperciliosãm arrogantiam non venerantur Dei famulos,tanquam arroganti ac ſuperbi, quaſi aduerſus Deum agentes impiè condemnantur. Teſtimonio ſunt pueri illi qui mox vt aduerſus Eliſæum contẽptim vociferati ſunt, ab vrſis ſunt deuorati. *4. Reg. 2.* Secundus modus,creaturas ad vnã adoramus, per quas & in quibus Deus operatus eſt ſalutem noſtram, ſiue Domini aduentum præuerterint, ſiue poſt diſpenſationem aſſumptæ carnis vixerint, ceu ſunt Mons Sinai, Nazareth,præſepe in Bethlehem,ſpelunca,Golgotha, lignum Crucis, claui, Spongia, arundo, lancea ſacra & ſalutaris,veſtis,tunica, Sindones, *2. Modus.*

 faſciæ,

faſciæ, ſepulchrum ſanctum quod fons & origo
eſt noſtræ reſurrectionis, lapis monumenti, Sion
*vallis qui & mons ſanctus, probatica piſcina,*Geſema-
pinguedi- ni quæ vallis nemus complectitur perquàm fœ-
nis. lix. Hæc & his ſimilia veneror & adoro ac ſan-
ctum omne templum Deo conſecratum. Quic-
quid item in quo Deus nominatur, colo: nō pro-
pter ipſorum naturam, ſed quòd receptacula ſint
diuinæ operationis, pérque ea & in eis benepla-
citum eſt Deo noſtram peragere ſalutem. Ange-
los inſuper & homines, omnem denique mate-
riam diuinæ actionis participem & quæ inſerui-
uit procurandæ ſaluti noſtræ veneror & adoro
propter diuinam operationem. Nō veneror Iu-
dæos. Neque enim participes diuinæ actionis:
nec intentione mihi comparandæ ſalutis, Do-
minum gloriæ Deum meum cruci affixerunt,
quin inuidia potiùs & odio aduerſus Deum &
Pſal. 25. benefactorem ſauciati. Domine dilexi decorem
domus tuæ (ait Dauid) & locum habitationis
gloriæ tuæ. Et, adorate in loco, vbi ſteterunt pe-
des eius. Et, adorate in monte ſancto eius. Mons
Dei ſanctus & animatus, ſancta eſt Deipara.
montes Dei ratione præditi ſunt apoſtoli. Mon-
Pſal. 113. tes exultauerunt, vt arietes: & colles, ſicut agni o-
uium. Tertius modus, ſecundū quem, Deo quæ
3. Modus. dicata ſunt, adoramus. Sacra dico euangelia, reli-
Rom. 15. quos inſuper libros. Scripti enim ſunt ad com-
monitionem noſtram, in quos fines ſeculorum
deuene-

deuenerũt.Diſci ſeu patenæ & calices, acerræ ſiue thurribula, lucernæ ac mẽſæ. Manifeſtè enim liquet hæc omnia digna eſſe veneratione. Vide enim, quando Balthaſar fecit vt inſeruiretur populo vaſis conſecratis, quopacto regnum ipſius Deus ſuſtulerit. Quartus modus, iuxta quem adorantur earum rerum imagines quas viderunt prophetæ. Hi enim in imaginaria viſione Deum videbant. Sed & futurorũ adumbrationes erant, ſicuti Virga Aaron ipſa imagine præſignabat myſterium virginis. Vrna quoq; & mẽſa. Iacob proìnde adorauit faſtigiũ virgæ. Et hoc erat typus Saluatoris. Sunt item & imagines rerũ priùs geſtarum ad nouãdam memoriam. Ipſum enim tabernaculum imago erat omni genere ornamẽtorum perpolita. Dixit enim Moyſi Deus: Vide, vt omnia facias ſecundum exemplar quod tibi monſtratum eſt in monte. Et Cherubim ex auro erãt, opus conflatile. Et Cherubim in velo, opus textile. Ratione conformi adoramus & precioſam Crucis figuram ac ſimilitudinem corporalis effigiei Dei mei, & eius quæ ipſum enixa eſt aſſumpta per eam carne ac famulorum ipſius.

1 Cor. 15.

4. Modus.

Quintus modus, ſecundũ quem adoramus nos inuicem quippe qui ſortitò partem accepimus cum Deo & ad eius imaginem ſumus cõditi, inter nos planè humiles legémq; adimplentes mutuæ charitatis. Sextus modus, eorũ eſt qui principantur & pro poteſtate agunt. Reddite enim,

5. Modus.

6. Modus.

 ait

ait, omnibus debita. Cui honorẽ, honorem: quẽadmodum & Iacob fratri ſuo Eſaü primogenito, & Pharaoni in principem Dei ordinationẽ deſignato detulit venerationẽ ac procidit. Septimus modus, iuxta quem ſerui dominos venerantur & ſuos benefactores, eóſque quorum ope indigent, obteſtantur, vt Abraham filios * Hemor adorauit, quando ſpeluncam duplicem coëmit. Vtque ſemel in pauca conferam, timoris, flagrãtis affectus & honoris ſymbolum planè eſt eiuſmodi adoratio & ſubmiſſionis & humilitatis argumentũ. * Sed enim nulli creaturæ tãquam Deo adhibenda eſt eiuſmodi adoratio, præter quàm ei ſoli qui natura Deus eſt. Omnibus proinde quod debetur, tribuendum, ídque propter dominũ. Expendite, quanta animi fortitudo, & quàm efficax operatio diuina his collata ſit qui cum fide & ſyncera conſcientia ad ſanctorum imagines prodeunt. Quare fratres, perſiſtamus in petra fidei & traditione eccleſiæ, non tranſferentes terminos quos præfixerunt patres noſtri, neque cedentes locum his qui noua hæc inducere moliuntur & demoliri fabricam ſanctæ Dei catholicę & apoſtolicæ eccleſiæ. Quòd ſi libertas hæc omni volenti concedetur, totũ eccleſiæ corpus ſenſim dilabetur ac peſſum ibit. Ne fiat hoc fratres, Nolite filij Chriſti eccleſiæ amãtiſsimi. Matrem veſtram ne tali probro & dedecore aſpergatis. Suum hunc ornatum ne ſinatis illi adimi.

Septimus modus adorandi.

* חמור *pater Sichẽ. Gen.* 33.

**Delatria intelligit.*

Suſci-

Suſcipite eam per me hac legatione fungẽtem.
Scitote, quid de ipſa dicat Deus: Tota pulchra es
* amica mea, & non eſt in te macula. Adoremus *ἡ πλη-
& latriæ cultum offeramus ſoli creatori & vni- σίον.
uerſitatis architecto, quippe qui Deus eſt ſuapte *propinqua familiaris*
natura adorandus. Adoremus & ſanctam virgi- *cognata, domeſtica.*
nem Deiparam, non quaſi Deam, ſed tanquam
matrem Dei ſecundum carnem. Sanctos item a-
doremus quaſi electos Dei amicos & qui apud
ipſum multam obtinent interpellãdi fiduciam.
Si enim homines tantam exhibent veneratiõẽ
regibus qui vtiq; obnoxij ſunt corruptioni, ple-
runque etiam impij ac peccatores, tum etiam iis
qui ab ipſis regibus deſignati in principes ſunt
& horum pincernis, ídque iuxta diuinum Apo-
ſtoli eloquiũ: Principatibus & poteſtatibus ſub-
iacete. Et, Reddite omnibus debita: cui honorẽ,
honorem: cui timorẽ, timorem. Et quemadmo-
dum ait Dominus, Reddite quæ ſunt Cæſaris,
Cęſari: & quæ Dei, Deo. Quantò magis cõuenie-
bat adorare regem regum (vt qui ſolus ſuapte na-
tura vniuerſæ dominatur creaturæ.) ſeruos inſu-
per ipſius & amicos par eſt colere qui imperio ra
tionis ſubiugarunt vitioſas animi perturbatio-
nes, eóque terræ totius conſtituti ſunt principes,
dicente Dauid: Conſtitues eos principes, ſuper *Pſal.* 44.
omnem terram. Aduerſus dæmonas & morbos
acceperunt poteſtatem, ſimúlque regnantes re
gnum obtinent nulla vnquam corruptione in-
terci-

tercipiendum nec diſſoluendum, quorum vel ſola vmbra dæmones profligauit & morbos. Ne igitur imaginem exiſtimemus eſſe ipſorum vmbra infirmiorem & minoris habendam. Reuera enim imago deſignat primarium exemplar & adumbrat. fratres, penes quem fides eſt, hic eſt Chriſtianus. Qui igitur cum fide accedit, non parum hinc capit emolumenti: contrà, qui hæſitat, dubius ſimilis eſt fluctui maris qui à vento mouetur & impetu hinc illinc iactatur. Talis nihil vnquã accipiet. Per fidem enim ſancti omnes placuerunt Deo. Traditionem igitur eccleſiæ excipiamus in rectitudine cordis & citra vllam diſceptationem cogitationum. Fecit enim hominem rectum Deus. Ipſi autem varios animi conceptus ac ratiocinationes exquiſierunt. Ne ſuſtineamus nos edoceri fidem recens inuentam, quaſi traditio ſanctorum patrum reproba ſit & damnata. Ait enim eximius Apoſtolus, Siquis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis: anathema ſit. Itaq; imagines ipſi adoramus, non eam venerationem deferentes materiæ imaginum, ſed per eas ad illos trãſſerimus adorationem quos ipſæ exprimũt. Honor enim imagini exhibitus tranſit ad prototypum, teſte Baſilio planè diuino. Vos autem ô ſacratiſſime Chriſti grex, populus * Chriſti nomine inſignis, gens ſancta, adimpleat Chriſtus corpus Eccleſiæ gaudio reſurrectionis, dignóſq; nos efficiat qui more

Iac. 1. a · *Gal. 1. b* · * ὁ χριστώνυμος.

more pedario inſiſtamus veſtigiis ſanctorum eccleſiæ paſtorum atque doctorum, vt per eorum veſtigia prouecti Chriſti gloriam aſſequamur in ſplendoribus ſanctorum quam contingat nos indipiſci eius gratia, vt eum perẽni gloria celebremus cui eſt gloria vnà cum patre principij omnis experte in ſecula ſeculorum, Amen. De differentia ſimulachrorum & imaginum quum abũde diſſeruerimus & imaginum definitionem docuerimus, tempeſtiuum eſt iam inferre* priſcorũ patrum elogia, iuxta pollicitationem noſtram.

liber. IIII.

*ἐπαινετ- κεῖν τὰς χρήσεις.

Sancti Dionyſij Athenarum epiſcopi elogium ex epiſtola ad Ioannem apoſtolum & Theologum.

Re enim vera viſibilia hæc inuiſibilium ſunt perſpicuæ imagines & expreſſæ.

Ex eiuſdem libro de Eccleſiaſtica Hierarchia.

Sed illæ quidem ſuperiores nobis ſubſtantiæ & ordines, quorum priùs ipſe commemini & incorporeæ ſunt & intellectuales, éſtq; eorum ordo atque functio mundo hoc ſuperior. Noſtram ſacerdotalem hãc functionem ipſi videmus iuxta proportionem virium effici multimodã pro diuerſitate ſignorum viſibilium, per quæ munere põtificali ad vniformem ſtatum, (quo in Deũ traſimus) pro captu quique noſtro prouehimur. Et quidem ſubſtantiæ illæ, vtpote mentes & abſtractæ intelligentiæ, Deum intelligunt diuinãque virtutem, quatenus fas eis eſt. Nos autẽ ſenſibili imaginum contuitu, pro virium modulo ad diuinarum rerum contẽplationẽ ſuſtolimur.

Religiones xpianorum diuersæ et tñ uniform

Si igitur accommodata nobis ipſis proportione ad diuinam & expertem materiæ concretionis prouehimur contemplationem ſenſibili obſeruatione imaginum, cur indecorum eſſe videatur eum ſenſibili imagine iuxta proportionem noſtro intellectui accommodam exprimere, qui noſtrę ſalutis cauſa vt homo effigie, forma & natura viſus eſt?

Ex ſermone ſancti Baſilij in beatum Barlaam qui ſic incipit: Prius quidem ſanctorum neces.

Mihi nunc exurgite ô ſplendidi pictores qui fortium athletarum illuſtria facinora veſtro exprimitis penicillo. Ducis manum detruncatam veſtræ artis ſolertia exornate, & coronatũ athletam per me obſcuriùs depictum veſtræ ſapientis induſtriæ coloribus illuſtrate. Abſoluta à vobis imagine per quam in conſpicuo omnibus ſpectanda proponantur huius martyris fortia facta, ipſe victus abibo. Gaudebo tali hodie victoria ſuperatus per veſtram induſtriam. manum cum igne luctantem video exactiùs à vobis depictã. Luctatorem ipſum veſtra deſcriptum imagine intueor ſolitò alacriorem. Eiulent dæmones etiã nunc terrore perculſi ob præclarè inter nos geſta martyris huius. Manus iterum incendio flagrans & eadem victrix ipſis oſtentetur. In tabula depingatur & Chriſtus ſacrorum certaminum deſignator munerarius & arbiter.

Ex eiuſdem

Ex eiuſdem ſermone in ſanctos quadraginta martyres.

Quandoquidem res in bellis fortiter geſtas plerunque & hiſtorici & pictores velut manu indicant. Illi quidem ſoluta oratione exornant, hi verò tabellis ſuo inſcribunt penicillo, & multos vtrique excitarunt ad viriliter agẽdum. Quæ enim hiſtoriæ ſermo repræſentat ſolo auditu, hæc & pictura tacens oſtendit per imitationem.

Ex opere triginta Capitum eiuſdem Baſilij de Spiritu ſancto ad Amphilochium. Reſponſio octauadecima eſt.

Quia Regis etiamnum imago, Rex dicitur, nõ item duo Reges. Neque enim ſcinditur poteſtas, neq; in partes diducitur gloria. Sicut enim principatus ac poteſtas in nos habens imperium, vna eſt: ſic & glorificatio quá illi deferimus eſt vna, non etiam multæ. Quare imaginis honor ad primarium exemplar refertur. Itaque quod præſenti loco imago eſt per imitationem, hoc illic natura filius. Sanè quemadmodum qui non honorat filium, ſicut ait Dominus, non honorat Patrem qui miſit eum: ita qui non honorat imaginem, non honorat eum qui ea imagine exprimitur. Sed enim dicet aliquis. Neceſſe eſt nos honorem deferre imagini Chriſti, non etiam ſanctorum. O dementiam! Audito Dominum dicẽtem diſcipulis, Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit. Itaque qui non honorat ſanctos, neque eorum Dominum honorat. *Matt.*

Sancti Gregorij Niſeni ex ſermone Conſtantinopoli recitato de diuinitate filij & Spiritus ſancti. Et in Abraha, ſermone quadrageſimo

*Ex ſermone Seueriani Gabalorum epiſcopi qui conſcriptus eſt in *Encania viuificantis & precioſæ Crucis.*

Quínam maledicti imago ſalutem populo attulit in calamitate fluctuanti? An non fide dignius fuerat dicere: ſiquis veſtrûm fuerit à ſerpẽte demorſus, ſurſum in cœlum oculos ſuſtollat ad Deum & ſaluus erit, aut certè in tabernaculũ dei? Imò his omiſſis, ſolam Crucis imaginem infixit terræ. Quam igitur ob rem hæc faciebat Moyſes qui priùs dixerat populo: Non facies tibi ipſi ſculptile aut conflatile, neque omnem ſimilitudinem eorum quæcunque ſunt in cœlo ſurſum, & quæcunque ſunt in terra deorſum & quæcunque in aquis ſubter terram. Verùm cur hæc eloquor apud populum ingratum & pactæ fidei immemorẽ? Dic tu ſummæ fidei & authoritatis vir & famule Dei, quod prohibes fieri, id ipſe facis? Quod euertis, inſtauras. Qui dicis. Non facies ſculptile? Qui demolitus es bouem cõflatilem, tu ſerpentem æneum inſtituis? Et quidem hunc ne omnibus quidem clam, ſed palàm & omnibus facis eſſe cognobilem. Atqui facilè reſponderit: Illis quidem legis ſanctione interdixi, vt materiam omnem impietatis excinderem, populúmq; auocarẽ ab omni defectione & idololatria. Nunc autem ſerpentem conflatilem effingo magno futurum vſui ad expreſſionem veritatis. Et quemadmodũ tabernaculum fixi & cuncta quæ in eo ſunt, & Cherubim ſimilitudinem

* ἐγκαί-νια initialia ſiue dedicatio.

inuiſibilium expandi per ſancta veluti figuram & vmbram futurorum: ſic & ſerpentem erexi vt populo eſſet in ſalutem, vtque horum experientia doctrice præexercerem imaginē ipſius ſigni ſanctæ Crucis, & eum qui in ipſa appendendus erat futurus Saluator ac redēptor. Quódque ſermo hic quàm longiſſimè recedit à mendacio dilectiſſime, audi Dominum, ſermonem hunc cōfirmantē ac dicentem, Et quemadmodū Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Ioannis Damaſceni Scholium.

Quòd imaginum pictura nouum commētum non ſit: ſed priſca & à maioribus excogitata inuentio, ſanctiſq; & electis patribus cognita, fuerítque illis ex conſuetudine, ſcriptum eſt in vita beati Baſilij per Helladium eius diſcipulum & ſucceſſorem in ſacro eius pontificatu, quemadmodum adſtiterat ſanctus Baſilius imagini Reginæ noſtræ, in qua depicta erat effigies celebrati apprimè martyris Mercurij. Se quidem eò ſtiterat poſtulaturus à Domina necem impiiſſimi tyranni & apoſtatæ Iuliani. Reuelationem hanc eſt edoctus ex ea imagine. Videbat enim momēto propè diſparuiſſe martyrē, nec ita multò pòſt denuo is viſus eſt manu cōprimens haſtā cruore perfuſam.

Ex vita Ioannis Chryſoſtomi.

Diligebat autem. B. Ioannes nimiſquam ſapiẽtiſsimi Pauli epiſtolas. paulò pòſt, quo loco requieſcebat ob imbecillitatem corporis, habebat effigiem apoſtoli Pauli in imagine expreſſam. Paulò pòſt, erat enim ſupra naturam peruigilij patiẽtior. Cúmque eius epiſtolas legere cœpiſſet, in imaginem preſſiùs oculorum defigebat, perinde ac in ipſum etiamdum viuentem. Vſque adeò vni illi erat attentus, eum deprædicans beatum, ſuámque omnem animi cogitationem in imaginem intendebat, & per contemplationem nonnunquã viſus eum familiariter alloqui. Paulò pòſt, Vt autẽ loqui deſiit Proclus, is Apoſtoli imagini intentus, contemplatúſque figuram eius ſimilẽ eſſe ei qui ſibi viſus fuerat, & ad mentem rediens dixit Ioãni digito in imaginem exporrecto: Ignóſce mihi pater, quem tecũ colloquẽtem vidi, huic eſt aſſimilis. Vt autem aſſequi datur coniectura, Hic ipſe eſt.

Ex hiſtoria Theodoreti Cyrenſis epiſcopi Dei planè amantis, in vitam. S. Simeonis à columna nominati.

De Italia enim ſuperuacaneum eſt etiam dicere. Aiunt ſiquidem in vrbe Roma quæ maxima eſt, virum hunc publicis laudibus celebratũ eſſe, vſque adeò vt in vniuerſis officinis ac veſtibulis effigies breuiculas ei excitarint, per eas ſperãtes ſe cõſequuturos tutelare quoddam præſidiũ ac ſecuritatem.

Ex ſancti Baſilij enarratione in Eſaiam.

Mox vt hominem vidit ad imaginem & ſimilitu-

vt per hæc animi noſtri inſinuemus affectum. Quemadmodum & Iudęus olim ſuæ legis tabellas lapideas, duos itē Cherubim aureos & ſculptiles adorabat, non naturæ quidem lapidis & auri eum conſignans honorem, ſed Domino qui permiſit fieri.

Ioannis Chriſoſtomi in tertium pſalmum, in Dauid & Abſalom.

Reges quidem ſuis ducibus triumphales ſtatuas dicant, parta victoria. Principes autem columnas quaſdam victorię ex hoſtibus reportatæ indices ſuis excitant aurigis & athletis & rationem quæſitæ victoriæ, epigrammate quopiam ſiue elogio quaſi ſtemmate reddunt per præconem. Alij rurſus in libris ac literis laudes victoribus adſcribunt, cupientes eorū fortitudinem oſtentare acriore vi commendationis & hiſtorici & pictores & lapidum inſculptores & populi & principes & ciuitates & regiones victores ipſos miraculi habent loco. Nemo enim imaginē penicillo deſcripſit eius qui perfugio ſuæ conſuluit ſaluti aut pugnando vicit neminem.

Sancti Cyrilli Alexandrini præſulis ex eius alloquutorio ad Imperatorem Theodoſium.

Imagines autem, vt earum exemplaria. Eodem enim honoris loco habendæ ſunt, non ſecus.

Eiuſdem ex theſauro deprompta ſententia.

Semper enim imagines affinem retinent & cognatam ſimilitudinem ad ſua exemplaria.

Ex eiuſdem opere de eo, quòd myſterium de Chriſto per omnem Moyſi ſcripturam deſignatur. De Abraham & Melchiſedec. Capit. 6.

Expedit, vt & imagines depingam quæ ſuis reſpondeant archetypis.

E ſecundo ſermone Gregorij Nazianzeni de filio.

Ea enim natura eſt imaginis, vt imitatione exprimat archetypum cuius dicitur eſſe imago.

Ex ſermone tertio Chryſoſtomi in Epiſtolam ad Coloſſenſes.

Inuiſibilis rei imago, & ipſa inuiſibilis. Alioqui nõ fuerit imago. Imaginem enim ſecundum nos (quatenus imago eſt) oportet eſſe aſſimilem ſuo exemplari, vt quæ forma ſit ſimilitudinis.

Ex eiuſdem enarratione in Epiſtolam ad Hebræos. Cap. 17.

Quemadmodum in imaginibus, imago hominis eius præfert figuram cuius imago eſt, non itẽ robur & fortitudinem. Itaque veritas & figura mutuam inter ſe habent cõmunionem. Eſt enim ſimilis figura.

Sub finem cap. 9. *Ex quinto libro Euſebij Pamphili de Euangelica demonſtratione, in illud: Apparuit Deus Abrahæ apud quercum Mambre.*

Vnde & in hodiernum vſque diem locus ille colitur tanquam diuinus in eorum honorẽ qui apparuerũt Abrahæ, & in hodiernum vſque diẽ conſpicitur perdurans Terebinthus. Ab Abrahã hoſpitio excepti, in ſcriptura poſiti, duo quidem vtrinque, medius autem præſtantior, præëminẽs honore. Dominus ipſe Saluator noſter vtique nobis ſub ea forma ſe exhibuit conſpicuum quẽ & ignorantes colunt diuina eloquia cõfirmantes. Sanè hic ex illo iam tempore pietatis ſemina cordibus hominũ iniiciens, humanamq; ſubiẽs ſpeciem ac formam, Dei amantiſſimo & progenitori

nitori noſtro Abraham quis fuerit, innoteſcere voluit, Patríſque ſui notitiam eidem tradidit.

E Chronographia Ioannis Antiocheni qui & Malala dicitur, de Hæmorrhoüſa déque colũna quã erigi fecit Chriſto Saluatori.

Ex illo iam tempore Baptiſta Ioannes notitiæ hominum innotuit, & Herodes Toparcha in regali palatio Traconitidis regionis, eius caput amputauit in Sebaſte ciuitate ante octauum Kalend. Iun. Phlaccone & Ruffino Conſulibus. Ob hoc contriſtatus Herodes rex Philippi frater digreſſus è Iudæa eſt & ipſum mulier quædã opulenta ciuitatem incolens Paneadem, cui nomen Bernice. Hæc quòd per Ieſum curata eſſet, volẽs ei erigere columnam, nec id auſa moliri citra regis permiſsionem, petitionẽ obtulit Herodi regi qua poſtulabat ſibi licere in ſua ciuitate chriſto Saluatori auream erigere columnam. Poſtulatio proinde hæc continebat. Venerando Herodi toparchæ & legum latori Iudæorũ pariter & gentiliũ, rẽgi Traconitidis, Petitio atque ſupplicatio Bernices magnificæ, ciuitatis Paneadis hæc eſt: Iuſtitia & erga homines benignitas, reliquæ inſuper virtutes coronæ inſtar, verticẽ cingunt veſtrum, quocirca & ego id cognoſcens, ſpe bona omnia me conſequendi ſumens audaciam ad te ſcribo. Quæ ſit iſtius procemij Baſis, ſermonis progreſſus te edocebit. Ab ætate vſque puerili arripuit me vitioſa affectio, nempe profluuium ſanguinis per corporis elices ac meatus

βερνίκη. à victoria.

Berenices ad Herodem postulatio

 erum-

auditis, magnitudine miraculi perculſus & tantæ curationis exterritus myſterio dixit: Hæc circa te ô mulier facta medicatio digna prorſus eſt erectione maioris columnæ. Hinc igitur profecta, qualem vis, erigito ei columnam, gloriam ei deferens qui te ſanam reddidit. Et ipſa Bernice quæ priùs hæmorrhoüſa fuerat, actutum in medio ſuę ipſius ciuitatis Paneadis Domino ac Deo ſtatuit columnā æneam ex ære* candenti conflatam auro argentóque permiſtis, quæ columna in Paneade ciuitate in hunc vſque diem permanet. Non ita pridem ab eo loco in quo ſteterat, in locum tralata eſt, in ædem orationi conſecratam, quod ſanè monumentum inuentum eſt in ciuitate Paneade apud Baſſum quendam qui ex Iudaiſmo ad Chriſtianiſmum tranſiit.

*θερμη-λάτου.

Colimna in Paneade ciuitata Cristo Jesu erecta a Berenice fluuio sanguinis sa... tactu fimbrię.

E ſeptimo libro eccleſiaſticæ hiſtoriæ Euſebij Pamphili de Hæmorrhoüſa Paneadis.

Quando in mentionem incidimus ciuitatis huius indignum puto præterire narrationē quæ digna planè eſt trāſmitti ad poſterorum memoriam. Hæmorrhoüſa enim, (quam lectione ſanctorum Euangeliorum didicimus inuētam eſſe ſanam à ſanguinis profluuio, gratia ſaluatoris noſtri,) illinc prodiiſſe ferebatur, eiúſque domū in ea ciuitate oſtentari & trophęa prorſus admiratione digna beneficij in eam à ſaluatore collati perſiſtere. Stat enim ſupra prominentem & excelſum lapidē mulieris effigies ænea ante do-

Libro 7. cap. 18. Hac de re vide lib. 6 c. 15. & c. 16. Nicephori Calliſti.

 mus

mus ipſius ianuam in genua prouolutæ & ante faciem ſuam manus expandentis quæ ſupplicanti aſſimilis eſt: In huius conſpectu, forma alia viri materia eadem eleganter conueſtita diploide ac mulieri exporrigens manum, ad cuius pedes in hac ipſa columna, quædam herbæ ſpecies nulli dum nota enaſcitur quæ dum ad finibriam vſque æneæ diploidis aſcēdit, genus omne morborum prǫſenti remedio amolitur. Statuam proinde hanc dicebant præferre imaginem Domini Ieſu. Porro ea perdurauit ad hanc noſtram ætatem, quemadmodum & accepimus ab his qui eò profecti, viderunt. Nihil hîc mirabile iſta feciſſe eos qui ex gentibus, beneficiis curationum fuerant affecti à ſaluatore noſtro, quando & apoſtolorum Petri & Pauli: ipſius item ſaluatoris imagines verſicoloribus picturis deſcriptas vidimus, vti par eſt credere, ab antiquis citra delectum vllum ad eum modum ea inualuerat conſuetudo, vt de ſe bene meritos honore proſequerentur.

Eiuſdem ex libro nono. In Imperatorem Conſtantinum.

Capite 9. libri 9. Quàm optimè conſcius ſe adiutum Dei præſidio, trophæum ſalutaris ac Dominicæ paſſionis quàm citiſſimè præcipit appingi dextrę ſuę imaginis. Ipſi quoque in loco maximè celebri ac publico Romanæ vrbis ſtatuerũt eum dextera manu continentem ſalutare ſignum Crucis, cui hâc ſubſcriptionem iuſſit ordine adſcribi Romanis verbis: Hoc ſalutari ſigno, veraci documēto fortitudi-

titudinis,ciuitatem veſtram liberaui,iugo tyranni exemptam & incolumem conſeruatam. Præterea & Senatum & populum Romanum reſtitui à ſeruitute in libertatem vēdicatum ſuo priſtino ſplendori & claritati.

Ex hiſtoria eccleſiaſtica Socratis,lib.1.de eod.Impera. Capite. 18.

Secundum hæc Imperator Conſtantinus his quæ Chriſtianæ erant profeſſionis, exactiùs intendēs Gentilium ſuperſtitionem auerſatus eſt. Et quidem monomachia finē accepit, ſuas autē imagines impoſuit templis.

Stephani Boſtreni aduerſus Iudæos, Capite. 4.

Nos autem ſanctorū imagines pingi fecimus ad eorum memoriā, cuiuſmodi ſunt Abraham, Iſaac,Iacob, Moyſes,Helias, Zacharias & reliqui prophetæ,ſimul Sanctorū & martyrum qui Chriſti gratia trucidati ſunt, vt quicunque eas intuetur,imagines illorum meminerit eíque deferat gloriam qui eos gloria inſigniuit.

Eiuſdem.

De Imaginibus autem confidimus, quia opus omne quod Dei nomine fit, bonū eſt & ſanctū: de Idolis autē & ſtatuis, abſit idipſum dicamus. Ea enim improbanda ſunt & abſurda, ipſi quoq; qui ea faciunt. Aliud enim eſt imago ſancti prophetæ,& aliud ſimulachrum & ſtatua aut delubrum Saturni & veneris, Solis & Lunæ. Homo enim quia ad Dei imaginem factus eſt, colitur: Serpens verò quod imago ſit Diaboli immūdus eſt,proinde & abiiciendus. Quòd ſi manufacta able-

In omnibus his quæ acciderunt ei,nõ attribuit ſtultitiã Deo.) Quemadmodum in imaginibus, ſiquando in hiſtoria deſcribēda quædam deſcribamus,hoc pacto ſolemus adſcribere, vnus aliquis retulit: ita & qui librum hunc ſcripſit,imaginem animæ iſtius beati calamo ſcitè depinxit, acſi in modiolo infernè ſubſcribens, ait: In his omnibus quæ ei euenerunt, non * peccauit Iob.

Ex vita. S. Conſtantini,libro quarto.

Anima autem eius quãta virtute diuinæ fidei ſubnixa fuerit & conſtabilita,per hoc etiã edoceri poſſit quis ſecum reputãs,qua ratione & in excudendis numis aureis ſuam inſcribebat imaginem,ita vt videretur ſurſum oculorum aciem habere exporrectam ad Deum,inſtar orantis. Sanè huius quidem expreſſæ imagines vniuerſam terram Romanæ ditionis percurrerunt. In ipſis inſuper imperij palatij per quaſdam * ciuitates, ipſis imaginibus in eminentiore loco porticuũ & veſtibulorum repoſitis depingebatur ſtans rectus,ſurſum quidem cœlum verſus ſuſpiciens & manus expandens. Itaq; ad eum modum orantem ſe per eiuſmodi imaginũ expreſſionem memoriæ poſterorum tradidit.

E libro tertio eiuſdem.

Sic igitur finem accepit vitæ Imperatoris * mater,digna prorſus ampliſsimo honore, quũ propter actiones Deo gratioſas & amabiles,tũ quòd ex ipſa prodierit præcellẽs & admirabilis plan-

*ὀυχ ἥμαρτεν *pro quo ſuperius* ὀυκ ἔδωκεν ἀφροσύνην.

Deſit διέξεχεν.

* *pro* πόλεις *Ald. exemplar habet* πύλας *fores, alius interpretatur columnas* ςήλας.

* *Conſtantinus ſcilicet.*

ta hæc,quam dignum eſt prædicare beatam ob eximiam pietatem quá ſuæ exhibuit genitrici. Eam enim vſque adeò amantem diuini cultus reddidit,vt videri poſſet ab ineũte ætate à cõmuni omnium ſaluatore edocta, etiá ſi ne talis quidem priùs fuerit.Ita demum eandem ampliſſima & regali dignitate cohoneſtauit, vt ab vniuerſis gentibus atque adeò à cunctis militiæ ordinibus appellaretur Auguſta Regina,aureis inſuper nomiſmatis exprimeretur eius imago.

E quarto libri eiuſdem. Cap. ſexageſimonono.

Qui regiam ciuitatem incolebant,vnà cum ſenatu & populo Romanorum ſimul atque reſciuerunt Imperatoris obitũ,eiuſmodi famam peracerbam ſibi fore cenſentes & quauis calamitate ſuperiorem,luctu intolerabili ſe macerarunt. Equidem claudebantur balnea, fora inſuper & ſpectacula publica & quæcũque tandẽ alia omnia laxamenta vitæ ſolita ab his edi qui operas ſuas nauare conſueuerant exhilarandis animis ſpectatorum.Qui priùs genialiter indulſerãt deliciis,vultu incedebant in terrã deiecto: ſimúlq; omnes eum pronunciabant beatum, dilectum Deo & reuera imperio dignũ.Nec iſta conſonis vocibus acclamabant ſolùm:ſed & ad opera vſq; prodeuntes,imaginum dedicationibus aliíſque ornamentis eum qui mortuus erat, perinde ac viuum digno honore proſequebantur. Verſicolore quidem pictura repreſentantes ſpeciem habitúmque

bitúmque cœli, ipſum verò conquieſcentem in ætherea manſione ſupra cœlorum apſides per eam exhibebant picturam.

Ex eodem. *Cap. 73.*

Ad exemplum autẽ ſui Saluatoris qui virtute diuinæ benedictionis iacto grano ſeminis tritici multiplicans, pro vno præbet ſpicam, vniuerſumq́ue terrarum orbem ſuis complet fructibus. Equidem & hic cõformiter ter beatus pro vno excreuit multiplex per liberorũ ſucceſſionem, ita vt ab omni natione vnà cũ liberis honoretur, excitatione imaginum.

Theodoreti Cyrenſis Epiſcopi & Polychronij ex enarratione in Exechielem.

Et quemadmodũ Romani dum imagines penicillo deſcribunt ſuorum imperatorum, haſtatos ſatellites circumponuntur, gentes eis ſubditas appingunt. Conſimilem in modum & hîc. Quandoquidem imperator ipſo aſpectu & habitu præfert Dei imaginem. Inſidens enim throno omnium quæ in terra ſunt, exprimit imagines, ipſoq; habitus ſplendore repreſentat decus ſuæ maieſtatis, docens imperium ditionemq́ue Dei ſe per omnia exporrigere.

Eiuſdem.

Et tu fili hominis, ſume tibi laterem, & pones illum ante faciem tuam: & deſcribes in eo *ciuitatem Hieruſalem & dabis *aduerſus eam obſidionem & ædificabis aduerſus eam propugnacula & circumpones contra eam vallum & dabis con-

Ezech. 4. a.

**pro* ὅλην *lego* πόλιν
ἐπ᾽ αὐτὴν *nõ* ἐν αὐτῇ.

contra eã caſtra & ordinabis arietes in circuitu.)

Enarratio.

Si quidem cenſes tibi eſſe formidabile multitudini ediſſerere quid aduerſus eum euenturum ſit ac ciuitatis deſolationem prædicere, templíq; ſuffoſſionem & excidium, & quæ per hæc illis euenturæ ſunt calamitates. Hoc ipſum ſub alia figura denuntiato, vt & illos moderatiores reddas, tuámque in eos exeras clementiam & placabilitatem, & arrepto latere deſcribito ciuitatem. Sanè ciuitatis appellatio deſcribatur, vt omnibus innoteſcat hanc eſſe Hieruſalem. Deſcripta autem ciuitate, in eius circuitu ſtatuè vallum per picturæ effigiem, vt ſe habet numeroſa militum multitudo. Exercitus ipſi militari ordine progrediantur. Dictio enim illa παρεμβολὰς ſenſum hunc indicat. pro eo, vt præſto ſint phalanges ſiue legiones ſuo quæque militari ordine, nõ modò vndique armis communitę: quinetiam inducantur * machinæ quibus demoliantur hoſtes muros. Indicat planè bellicas ipſas machinas. Mirum in modum denũtiat circunſtantem militum multitudinẽ ciuitati affuturam, vt terrore ingruentium malorum perculſos auocaret ab omni legis tranſgreſſione.

μηχανήματα ceu ſunt arietes, balliſtæ, ſcorpiones.

E martyrio S. Euſtathij qui & Placidas dictus eſt.

Vna dierum egreſſus pro more in montes, comitante eum exercitu ſuoque omni famulitio, vt venaretur, cui ægreſſo apparuit grex ceruorũ

paſcuas

paſcuas herbas depaſcens. Et exercitu pro conſuetudine in diuerſas partes diſparato, cœpit perſequi. Cúmque vniuerſus exercitus comprehendendis ceruis eſſet intẽtus, vnus qui eximia proceritate ac ſpecie præeminebat ab armento diſgregatus in nemus arboroſum cõcitus proſilit, inter denſiora ſyluæ loca ac ſitus inuios & inhoſpita teſqua. Quem vt vidit Placidas, eius comprehendendi cupiditate exarſit, relictíſque omnibus cum militibus aliquam paucis perſequitur. His qui comitabantur delaſſatis ſolus ipſe pertinaci ſtudio inſectabatur ceruum. Dei prouidentia factum, vt nec equus quo vehebatur, remitteret curſum, nec ipſe propter loci incommoditatem torpeſceret. Cúmque is multum diúque incubuiſſet inſectationi, longiùs ab exercitu ſuo depreheſus eſt. Ceruus ſe illinc proripiebat fuga, ille verò apprehenſo vertice petræ quum nemo illi adeſſet, vndequaque circunſpiciens ſtetit, ſecúmque reputabat quónam pacto eum ceruum comprehenderet. Sed qui omnia ſapientiſſimè nouit & miſeretur omnium Deus, pro hominũ ſalute omnifarias excogitans vias in ea venatione Placidam ipſum vt capiat, venatur, non quidem vt Cornelium per Petrum, magis verò vt Paulum perſequutorem ſuo ipſius illuſtri aduẽtu. Placidas quidem poſtquam multum diúque reſtitit oculóſque in Ceruum intendit preſſiùs, admiratus eius proceritatem & quia minimè eũ

poſſet comprehendere: tunc Dominus quiddam prodigioſum illi oſtendit, nihil alioqui indecorum aut abſimile vero, neque ſuæ ipſius potentiæ magnitudinem tranſcendens: ſed quemadmodũ aſinæ Balaam indito ſermone corripuit ipſius cogitationem: ita etiamnum hîc ipſum edocet ac oſtendit in cerui quidem cornibus effigiem ſanctæ Crucis præ ſplendore Solis illuſtrius relucentem, in medio autẽ cornuum imaginem Deiferi corporis quod pro noſtra ſalute ſubire dignatus eſt, vocémque inſerens Ceruo Placidam alloquitur, dicens: O Placida, quid me perſequeris? En ego in tui gratiã tibiq; ſum viſus in hoc animali. Ego ſum Ieſus Chriſt⁹ quẽ ignorãs colis. Beneficẽtiæ quas in indigos diſpertiris, oblatæ ſunt in conſpectu meo. Proinde veni, vt per Ceruum hunc me tibi inſinuarem, téque ex contrario viuum caperem & intra ampliſſimos caſſes meæ clementię captiuum detinerem. Non enim eſt iuſtum, vt tu qui mihi es commẽdatione bonorum operum perquam amabilis & gratioſus, in poſterum famulatum exhibeas dæmonibus impuris ac idolis mortuis & ſurdis. Ob hoc enim veni ſuper terram in hac (quam nũc vides) ſpecie, cupiens cõſultum ſaluti humani generis.

Sancti Leontij Neapoleos inſulæ Cypriorum aduerſus Iudæos, ſermone quinto.

Agedum deinceps, age iam cum exprompta animi alacritate patrocinium ſuſcipiamus & aggredia-

grediamur defenſionem expreſſionis venerabilium imaginum, vt ora oppilemus iſtorum ex legum & impiorum loquentium iniqua. Neque enim noſtra eſt hæc traditio, ſed à legis ſanctione proficiſcitur. Audito enim tu Deum ipſum Moyſi præcipiẽtem, vt affabrè fieri iuberet imagines duorum Cherubim ſculptilium & conflatilium qui obumbrarent propitiatorium. Rurſus, Templum oſtendit Deus Ezechieli, de quo hic ait: Habebat ſculptiles facies leonum, palmarum, hominum & Cherubim ab ipſo pauimento vſque ad laqueare tecti. Sermo hic prorſus terrorem incutit. Deus eſt qui mandat Iſraëli, ne quod ſculptile faciat, non vllam imaginem, neque ſimilitudinem eorum quæcunque ſunt in cœlo, & quæcũnque ſunt ſuper terram: & hic idem iubet Moyſi vt faciat ſculptilia animalia & Cherubim. Et iidem pleni imaginũ nominúmque expreſſionibus ſunt, & templũ quod oſtendit Deus Ezechieli, puta leonum ſculptilium, palmarum & hominum. Salomon inſuper mutuatus ex lege conformationem, ſuum compleuit templum æneis ſculptilibus boum, palmarũ & hominum, neque ob eam rem eſt à Deo reprehenſus. Si igitur reprehendis me propter excuſionem imaginum: Deum coarguito qui eas iuſſit fieri, vt apud nos perſeueret eius recordatio.

Eiuſdem è Quinto ſermone.

Rurſus nos percunctantur de precioſa Cruce &

de

de ſignificatione ſimúlq; adoratione imaginum diuinitus impreſſarum, nos perſtringentes hoc nomine quòd Idololatræ ſimus & colamus ligna tanquam Deos iſti panathei. Quòd ſi eſt vt dicis Athęe, ego lignũ adoro quaſi Deum: vtique velim nolim, multos colo Deos. Hoc ſi eſt, neceſſe eſt, vt dum iuro, dicam: Per Deos, quemadmodum & tu vnum videns vitulum dicebas: Hi dij tui Iſraël. At ne tu vnquam efflagites tale aliquid audire ex ore Chriſtianorum. Sed adultera & infidelis ſynagoga nunquam non conſueuit eccleſiam Chriſti caſtiſſimam traducere & calumniari, quaſi ſit fornicaria.

πανά-θεοι prorſus ſine Deo.

Eiuſdem.

Sanctorum effigies, figuræ & imagines nequaquam à nobis adorantur tanquam dij. Si enim ligno imaginis quaſi Deo prociderimus, neceſſe omnino fuerit, vt & reliqua ligna adoremus. Atqui non ita ſe res habet. Sæpenumero enim interlita forma imaginis, ipſam exurimus igni.

Rurſus.

Crucis quidem ligna tantiſper dum connexa ſunt, adoro figuram, *eius gratia qui ab ea pependit. Mox vbi à ſe inuicem diſparata fuerint, abiicio & igni contrado. Et quemadmodum mãdatum imperiali ſigillo obfirmatũ qui excepit, per hoc quòd complexu & oſculo ſalutat ſigillum, non vtique luto, non chartæ, non denique plũbo eum defert honorẽ: ſed imperatori attribuit

** Nempe Chriſti.*

venera-

venerationẽ eiuſmodi & adorationem. Ad eundem modum nos Chriſtiani quãdo venerabundi Crucis figuræ procidimus, non vtique ligni adoramus naturam: ſed ſigillum, annulum & effigiem Crucis Chriſti reſpicientes. Per Crucis enim figuram ipſum beneuolẽ complectimur & adoramus qui in ea pependit.

Eiuſdem.

Et ob hoc, Chriſtum Chriſtíque paſſiones in eccleſiis, ædibus, in foris & imaginibus, in ſindone, in conclauibus ſiue promptuariis, in veſtimẽtis, in omni denique loco efformo & deſcribo, vt hæc continenter intuitus, ipſa ad animum reuocem, nec vlla obliuione ſinam ea intercipi: quẽadmodũ & tu nullo non tẽpore oblitus es domini Dei tui. Et quemadmodũ tu dum legis librum adoras, nõ vtiq; veneraris naturã pelliũ aut atramẽti, ſed qui in eo repoſiti ſunt, ſermones: eodẽ mentis ſcopo imaginem Chriſti veneror, non ligni aut colorum naturam. Abſit. Sed inanimam effigiem Chriſti colens, per eam videor Chriſtũ ipſum complecti & adorare. Et quemadmodum Iacob quum à fratribus Ioſeph accepiſſet verſicolorem tunicam cruentatam, quando ipſum diuendiderunt, eam tunicam continenter cum lachrymis exoſculatus, ſuíſque oculis ſpectandã admouebat, nõ lugens veſtimentũ, ſed per veſtimenti oſculum exiſtimans ſe deoſculari Ioſeph inque manibus ipſum tenere: ad eandem dicen-

di formulam,nos Chriſtiani imaginem aut apoſtoli aut martyris carne quidem complectimur, animo autem ipſum illum Chriſtum aut Chriſti martyrem charitate complecti & benignè appellare nos exiſtimamus. Equidem vt crebrius dixi,in omni ſalutatione & adoratione intentio inquiritur. Quòd ſi me in ius vocas obiiciens quia lignum Crucis tanquam Deum adoro: cur non incuſas Iacob qui adorauit ſuper ſummitatem virgæ Ioſeph? Cæterum palam omnibus eſt eum non honoris deferendi ligno cauſa, ipſum adoraſſe:ſed per honorem exhibitum ligno adoraſſe Ioſeph,quemadmodum per Crucem ipſum adoramus Chriſtum. Deinde & Abraham viris illis planè impijs procidit venerabũdus genúq; ſuper terram inflexit qui ius ſepulturæ ei vendiderant. Atqui ipſos non quaſi Deos adorauit. Rurſus Iacob benedixit Pharaoni vtique impio & idololatræ. Eſau inſuper idem procidit ſepties: at non tanquam Deo. En tibi oſtendi quot ſint exoſculationis & amplexus modi, quot itẽ adorandi formulæ, pictoriæ quidem & naturales, nulli obnoxiæ reprehẽſioni. Me verò vbi videris adorare imaginem Chriſti, aut ſanctiſſimæ eius matris,aut cuiuſpiã ſancti:incandeſcis mox & acriter ſuccẽſes, oneras maledictis,reſilis à me,me appellas idololatram. Nihil ne te pudet? Nõ perhorreſcis? Nullus rubor frontem occupat tuam, me quum videas in dies ſingulos, toto terrarum orbe

Pulchrè ludit in Antitheſis.

orbe templa idolorum demolientem & eorum vice templa excitantem martyribus? Si idola colerem, qua fronte honore cumularem martyres quos conſtat euertiſſe idolorum culturã? Si iuxta tuam obiectionem, lignis defero gloriam, qua ex cauſa honore afficio ſanctos qui ligneas ſtatuas dæmonum incenderunt igni? Quòd ſi lapideos glorifico, qua ratione glorioſos prædico apoſtolos qui idola lapidea perfregerũt? Si imagines colo deorum falſi nominis, quamobrẽ glorifico, laudibus veho diémque feſtum concelebro trium puerorum qui ſunt in Babylone celebri ac illuſtri certamine perfuncti, vt ne aureæ imagini & idolicæ venerabundi prociderent? Atqui nimiſquam multa eſt & pręfracta iſtorũ ex legum inſenſibilitas, multa excæcatio ô Iudæe, multa & ea impudens audacia tibi ſuppetit, ſimul & impietas. Reuera abs te veritas iniquè opprimitur. Exurge Deus, iudica cauſam tuam. Iudica & ſecundum nos pronuntiato ſentẽtiam de gente non ſancta, ſed impia & abſurdi moris & quæ te nullo non tempore exaſperat.

Eiuſdem.

Porrò quidem vt ſubinde dixi, ſi ligno & lapidi tãquam Deo venerationis gratia procidimus, dixi proinde etiam ego ligno ac lapidi: Tu me genuiſti. Si verò imagines ſanctorum veneror, ipſos ſanctos multò cumulatius. Certamina ſanctorum martyrum & colo & honore proſequor,

qua igitur hæc eſſe Idola, ô mẽtis inops minúſq; cordate? Idola enim aſſimilationes quædã ſunt falſi nominis vim vſurpantium, puta mœchorum, homicidarum, liberos dæmonibus immolantium, luxúque ac mollicie diffluentium: non item prophetarum, neque apoſtolorum. Atqui vt aliqua ex parte repræſentem tibi demonſtrationem planè conciſam ſed & fide digniſſimam de Chriſtianorum gentiliúmque aſſimilationibus, animum aduertito. Habebant Chaldæi in Babylone muſica organa & quidem omnigena ad cultum Idolorum ac dæmonum. Habebant autem & filij Iſraël ab Hieruſalem allata organa quæ ad ſalices ſuſpenderant, & vtraque organa & nablæ & citharæ & tibiæ ſuppetebant. Sed illa quidem ad Dei gloriam adinuenta fuerant: hæc autem è diuerſo excogitata ad culturam dæmonum. Idem prorſus tecum deinceps cogita & de imaginibus ac idolis gentilium & Chriſtianorum. Idola quidem ad gloriam diaboli fabricata ſunt & eius memoriam: imagines verò ad gloriam Chriſti, apoſtolorum, martyrum ac ſanctorum eius inducta ſunt.

Eiuſdem.

Quum igitur videris Chriſtianum adorationis gratia procidẽtem Cruci, ſcito: quia id fecit propter Chriſtum Cruci affixum, non item naturã ligni adorat. Id enim ſi eſſet, vtique ligna omnia agri adoraremus, quemadmodũ Iſraël adorabat

lucos

lucos ſiue nemora & arbores, dicens: Tu es Deus meus. Et, Tu me genuiſti. nos autem non ſic: ſed memoriã & picturam paſſionũ Domini & eorũ qui in ipſius gratiam ad mortem vſque decertarunt, retinemus in eccleſiis & ædibus noſtris, nihil non faciẽtes ad ipſius Domini noſtri gloriã.

Rurſus.

Dic tu ô Iudæe, quæ nam ſcriptura permiſit Moyſi adorare * Iothor ſocerum ſuum idololatren? Et Iacob Pharaonem? Et Abraham filios Emmor? An nõ iuſti illi & prophetæ? Et Daniel procidit impio Nabuchodonoſor. Et quidẽ illi ſi hæc faciebant in gratiam redimendæ iſtius vitæ mũdialis & temporariæ, quánam ratione expoſtulas mecum, quòd adorem ſacra monimenta ſanctorum picturis hiſtoricíſque ſcripturis cõmẽdatas, afflictiones item & certamina per quæ ſingulis diebus cumulor beneficiis ſpéſq; eſt me conſequuturum vitam æternam?

* ἰοθάρ dic ἰεθρώ, יתרו qui et Raguel.

Ex tomo quarto eccleſiaſticæ hiſtoriæ Theodoreti.

Sub hoc conſulatu, menſe Decembri, eius mẽſis die vigeſima ſeptima, contigit formidabile & ingẽs miraculum quod & auditum omnem hominum magno terrore perculit. Olimpius enim quidam nomine, præſide Arianæ ſuperſtitionis Euthymio, quũ eſſet in balneo palatij Helenianorum quoſdam eorum contemplatus qui lauabantur, cõſubſtantialis trinitatis celebrãtes gloriã, ait hiſce prę́ſcriptis verbis: Quid enim eſt Trinitas?

nitas? cuinā parieti non ea adſcripta eſt? Quūque ſuperior euaſiſſet ſibi familiariter notis, dixit: Ecce & ego trinitatē habeo. Illi itaq; rem qūū deprehēdiſſent, animis incitati eū interfecturi fuerant, niſi eos repreſſiſſet nomine Magnus quidā ſanctorū apoſtolorū presbyter intra muri ambitū cōſiſtēs. Homo hic ſanequā admirandus ac ſedulus Dei cultor hiſce verbis eos alloquutus eſt, docēs quia nequaquam id latere poſſet oculum iuſtitiæ illius cuncta cernentis, qui ſingula quæquæ decernit & quidem exacta ratione. Sedata deinde turba ob viri iſtius reuerentiam, ſurrexit Olimpius & pro more vſus* labro ſiue ſolio aquę calidæ exilit in alterum quod & frigidam capiebat è fonte proſilientem qui oritur à medio venerandi altaris ædis conſecratæ diuo protomartyri Stephano quam olim exædificauit Aurelianus principali tum dignitate prælucens. Hinc enim reor eam aquam dignam habitā quam inuiſeret Deus. In hanc quum ille deſcendiſſet, dicto ocyus aſcendit, cum eiulatu dicens: Miſeremini mei, miſeremini, ſuáſque carnes excalpens oſſa etiamnum in partes diducebat. Omnes proinde qui circa eum erāt, apprehenſum inuoluerunt ſindone ac reclinarunt inalgeſcentem & animam expirantem. Porrò illi percunctabantur quid ei accidiſſet. Reſpondit Olympius, virū vidi niueis veſtibus indutū ex aduerſo Nerophori aſcendentem ad me, méque vidente permiſcentem

*ἐμβάσει θερμῶν χρησάμενος.

tem

tem * tres inaures lupini & dicentem mihi: Ne eſto blaſphemus. Illi acceptum eum in lecticam tranſtulerunt in alterum balneum adiacens Arianorum eccleſiæ. Illi quum vellet ab eo reuellere ſindonem, carnem totius corporis ſimul auulſerunt. Atque ita in mortem cõcedens reddidit ſpiritum. Rei huius geſtæ fama toto propemodum imperio innotuit. Vulgò ferebatur hunc talia paſſum, non modico tempore ſtetiſſe ab obſeruãtia & religione quæ glorificat ac profitetur in trinitate conſubſtantialem eſſentiam, & demum ad Arij cultũ reſiliiſſe per baptiſmũ. Id ſimul atque contigit & ad aures peruenit imperatorum: erat autem tunc Anaſtaſius. Is demãdauit prodigioſum hunc euentum varietate colorum per imaginem pingi, eámque affigi parti ſupremæ Nerophori. Ioannes autem quidam Diaconus ac defenſor prædictæ ædis dicatæ Stephano protomartyri, vir ſi quis alius, peracrem zelum exerens paſſim pro tuendo dogmate conſubſtantialis eſſentiæ, íſque rem geſtam pinxit ac tradidit imagini, nec vtcunque. Adſcripſit enim & nomina eorum qui tum inter lauandũ illic hiſtoriam perſpexerant & quo quiſque loco habitaret. Adiecit & eos qui adminiſtrandis aquis ſubſeruiebant. Teſtimonio autẽ eſt vſque in præſens ipſa imago affixa in ipſo introitu quartæ porticus ſæpe dicti oratorii.

*τρεῖς σι-κλας θερ-μοῦ.

Sancti Anaſtaſii cognomen ſortiti à ſancto monte Sina.

Agellus

Agellus eſt à Damaſco miliaribus quatuor diſſitus, dictus nomine Carſatas. In eo terræ tractu, templum eſt ſancto Theodoro ſacrũ, quod quidem templum ſemel ingreſſi Saraceni demorati ſunt, in eo exercentes genus omne obſcœnitatis & immunditiæ per mulieres, pueros & brutas animantes. Vna igitur dierum, quum conſidérent eorum permulti, ſimulque fabularentur, ex his vnus iecit ſagittam aduerſus imaginẽ Theodori quæ humerum eius dextrum perculit. Ex eo vulnere mox exiliuit ſanguis qui & ad imam vſque imaginis partem delapſus eſt, ſpectantibus omnibus quod fiebat, ſignũ, ſimul & impactam ſagittam humero ſancti & defluẽtem ſanguinem. Et ne ſic quidem ſpectatores admirabili hoc ſigno admoniti ad conſcientiam redierunt. Qui ſagittam impegerat ſancto, nullam egit pœnitẽtiam. Ne vnus quidem iſtorũ eſt animo motus, nec è templo ſeceſſerunt, neque ſibi temperarũt ab eius contaminatione. Veruntamen extremã dederunt commiſſorum vltricẽ pœnam. Quum enim familiæ eſſent eorum qui incolebant templum, quatuor & viginti, ad vnum omnes amarulenta morte extincti ſunt: eorum verò qui in viculo morabantur nemo interim diem ſuum obiit. Ipſa autem imago appetita miſſili ſagitta etiamnum hodie ſupereſt plagam retinens iactu ſagittæ impactam, ſimul & defluentis ſanguinis veſtigium. Nec pauci eorum ſunt ſuperſtites qui

fuerunt

fuerunt ſpectatores, rémque deprehenderunt tunc, quando mirabile ſignum hoc factum eſt. Quin etiam ipſe ego rei geſtæ in imagine ſpectator, quum inuiſiſſem, quod videram, ſcripſi.

*Ex vita Sancti Simeonis*mirifici enarratio Arcadij Archiepiſcopi Cypri, miraculum centeſimum trigeſimum ſecundum.* *θαυματουργοῦ.

Equidem diebus illis contigit virum quendá negotiatoré ciuitatis Antiochiæ periculoſo angore animi detineri, id procurante maligno dæmone, diúque ita anxietate vrgeri, vt compreſſione anheli ſpiritus penè illum ſuffocaret. Hic quum ſanctum adiiſſet, eſſetque eius deprecatione conſequutus ſanitatem, ita vt nullum videretur eatenus paſſus malum, ínque ſuam domũ regreſſus pro gratiarum actione erexit ſancto illi imaginem in publico & conſpicuo omnibus ciuitatis loco, ſupra fores officinæ ſuæ. Eam verò quum perſpexiſſent infidelium quidá tanto honore & gloria illuſtrari, vnà cum luminaribus & deſcriptione aſtrorum ipſam ambientium, impleti zelo homines ſui ſimiles, nempe turbulentos & incompoſitæ vitæ conciuerunt ad ſeditioſam coitionem, ſic vt numeroſa multitudo conuenerit & obſtreperas voces ediderint, clamando: Tolle è vita qui hoc fecit ac deturbetur imago. Dei autem diſpenſatione, contigit tunc virũ non potuiſſe in ſua dephrehẽdi domo. Priùs enim magno tenebantur ſtudio, vt eum malè multarent & occiderent, aliis alia vociferantibus. Iſto-

rum nequitia multa & nimiſquã magna in conſpectu Dei apparuit, inuidia inſuper præter omnem modum, per quam dæmonico ſpiritu obſeſſi in hoc conſpirarũt, arbitrati ſe occaſionem inueniſſe concitandæ ſeditionis & contumeliis inſectandi ſanctum, quòd is ſæpenumero coarguiſſet perfidiam & ipſorum errorem qui gentilium ſuperſtitionem ſectabantur. Tantum igitur inſaniæ pondus quum ferre non poſſent, vni cuipiam militum prouinciam hanc delegarunt, vt conſcenſis gradibus deturbaret imaginem. Ille quum aſcendiſſet, manúſque expandiſſet, vt demandatum expleret opus, ex alto in imam delapſus terram, momento eſt medius perruptus, & in ea turba non mediocris exortus eſt tumultus. Nihilominus redaccẽſis animis adiecerunt, vt & alterum eò adigerẽt. Et ille quidem exporrectis manibus, vt imaginem detraheret, in terrã pariter delapſus perfractus eſt. Hoc edito exemplo terrore perculſi omnes cœperũt ſibiipſis imprimere S. Crucis ſignaculum. Cúmque perfidi illi vehementiore inſania furerent, adiecerunt, vt & tertium ad hoc opus adigerent. Et hic vt manus extendit primum ad deiiciendam imaginem, conſimiliter perruptus concidit in terram. Tunc timor magnus inuaſit omnes qui fideles circunſteterant, & attoniti ſuper cæcitate ac temerario auſu perfidorum & impiorum, adorata imagine cũ ſupplici deprecatione illinc abierũt.

Ex eo ſermone Ioan. Chryſoſtomi quo illud enarratur: Scito, quia in medio laqueorum ingrederis. *Eccleſiaſtici. 9. c.*

Non igitur dilectiſſimi moleſtè feramus, neque concidamur animis ob præſentem afflictionē. Demiremur potius quãta ſagacitate, quamq; ſolerti induſtria ſapiẽtia Dei præpolleat. Pérque enim Diabolus ſpe ac voto præſumpſit ciuitatē hanc noſtram ſe funditus euerſurum, per hæc Deus ipſam inſtaurauit & corruptos mores emēdauit. Aſpiratione enim ſuæ malignitatis Diabolus quoſdã eò promouerat, vt Imperatorum imagines grauibus afficerent contumeliis, proinde & ciuitatem ſolo coëquarent.

Eiuſdem.

Equidem poſtquam auſu temerario tentata ſunt hæc (quidam enim impuri, imò modis omnibus flagitioſiſſimi, proculcatis legibus, ſtatuas ſuo loco deturbarunt.) & nobis ad extremũ impendebat periculum, quin etiam nunc pro vita ipſa pertimuimus, irritato imperatore. Deinceps non iam mulcta pecuniaria nos ſuo morſu reddit anxios. videor enim omnes exaudire dicentes: facultates noſtras accipito Imperator. A foro, ab ædibus noſtris nihil inuitè abſtinebimus. Tantum quæritur, vt quis polliceatur conſeruaturum ſe eſſe nobis incolume corpus ac nudum. Quemadmodum igitur priuſquàm nos inuaſiſſet timor mortis, vrebat nos mordicus iactura facultatum: at vbi hæc temere & prçter legum ſanctionem tentata ſunt, metus maior ſubingreſ-

ſus metum illum excuſſit ob iacturam pecuniæ, conceptum.

Eiuſdem.

Non noſti, quoniam ſi quis in ſpelunca latronum deprehendatur, & licet is latrocinia minimè exercuerit: parem illis cogitur ſubire pœnã? Ecquid quæ latronum ſunt, cõmemoro? Vtique ſcitis omnes ac meminiſtis, quãdo flagitioſi quidam & contaminatiſſimi homines atque ſubdoli impoſtores apud vos ſuſtulerunt ſtatuas, ad vnum quotquot deprehenſi ſunt adfuiſſe, ad iudicum tribunalia abrepti, vnaque cum illis abducti extremum luerunt ſupplicium.

Ex hiſtoria Theodoreti epiſcopi Cyri in Philotheum, de Macedonio Aſianita.

Contigit autem aliquando, vt ciuitas quæpiã maligno dæmone percita ac ſi propè morbum abigeret à ſe, ſi temere inſanierint ciues aduerſus ſtatuas imaginéſque Imperatorum.

Ex eccleſiaſtica hiſtoria Theodori Conſtantinopolitani, cognomento Agnagnóſtæ, id eſt, Lectoris, de quodam Palladio hæretico.

Palladius autem Antiochiæ epiſcopus ad captandam Imperatoris gratiam nihil non faciẽs, eos qui conſentaneè affectabantur ſancta decreta ſynodi Chalcedonenſis exhorrebat & aſpernabatur, imaginéſque ſanctorũ patrũ ſubſtulit.

Ex vita Sancti Conſtantini, Cap. 4. libri tertij.

Atqui is omni cum fiducia & in omnium proſpectu Chriſtum Dei filium colens perſeuerabat, nunc quidem faciem præmuniens ſalutari ſigno, nũc verò oſtentatione victorialis trophæi

præ-

prægeſtiens, quod ſanè & in tabula pictoria ante imperialis palatij fores è ſublimi maximè loco ſpectandum omnium oculis proponebat: ſalutare inquam ſignum cõmendans picturę quod ſuo capiti eſſet ſupra ſitum: familiarem verò inimicum & hoſtem qui eccleſiam Dei per impios impreſſione tyrãnica expugnare molitus eſt, ſub Draconis forma in imum depreſſit, ipſum enim ſacra oracula in libris prophetarum Dei vocarunt Draconem & diſtortum ſiue confragoſum ſerpentem. Eoque imperator ſibi, ſuíſq; ſubſtratum pedibus ac iaculo ſecus medium thoracis tranſfixum inque profundam maris voraginem deiectum Draconem hunc omnibus repræſentabat fuſili cera expreſſum. Et hæc ſanè exprompta animi alacritate perficiebat. Quæ verò eccleſias Alexandriæ conturbabant, non mediocriter ipſum mouebant, & quod per ciuitates epiſcopi aduerſus epiſcopos prorumperent & populi in populos coorirentur, ac tantum non ſeſe mutuis conflictationibus conciderent: ita vt illi ſpei deploratæ iam auderẽt admoliri manus rebus prophanis per mentis inopiam & imperatoriis imaginibus inferrent contumelias.

Ex hiſtoria eccleſiaſtica, de his qui ſentiebant cum Dioſcoro.

In tantum prorupit temeritatis & audaciæ, vt & beatorum paſtorum qui illò cõuenerant, nomina è ſacris * diptychis ſuſtulerit, eorúmq; imagines impreſſione tyrannica aboleuerit. *διπτύχων.

Ex eadem hiſtoria, de eo qui ſedem Conſtantinopolitanam ſuſcepit poſt Macedonium hæreticum.

Impius hic quum è conuentibus ſecederet, iubebat obſeruari ſacras ædes. Sicubi deprehendiſſet non eſſe in imagine depictum Macedonium, non priùs operabatur ſacris, quàm eam imaginē ſuſtuliſſet.

Ex eadem hiſtoria, de Iuliano, Timotheo & Eluro.

Iulianum hunc nonnulli eorum qui excitandis turbis gaudent, apprime nobilem celebrant, quippe quem prædictus Macedonius tanto applauſu approbauerit apud Timotheum epiſcopum. Ecquam ob cauſam tantopere ei applaudebatur? Quòd adſtantibus pleríſque in epiſcopali domo ex his qui in adminiſtratione Reipublicæ primas tenebant, plurimum commendaretur à ſibi famulantibus. Eoſdem proinde adigebat ſubiicere anathemati Calcedonenſis Sÿnodi decreta. Senex autē ſupplex procidens imaginibus præmortuorum ſacerdotum Phlauiani & Anatolij archiepiſcoporum Conſtantinopoli coloribus expreſſorum, quorum opera Chalſedonēſis ſynodus robur & authoritatem acceperat, ſenex inquam vociferabatur: Niſi velitis admittere decreta dictæ ſanctæ ſynodi, horum epiſcoporum imagines feriantur anathemate & è ſacris diptycis eorum nomina expungantur.

E ſermone Chryſoſtomi in ſanctum Phlauianum Antiochiæ archiepiſcopum.

Et quidem turba rem ipſam (vt habet) declarauit.

uit. Hi enim vſi prædure impetu aduerſus imperatorum imagines ferebantur ac ſtatuas, eáſque diſiectas per medium forum pertrahebant. Inſania enim eorum mentes perculerat immani rabie, & moderatas ipſorum cogitationes excæcauerat furor.

Ex eodem ſermone de Phlauiano patriarcha ad Theodoſium magnum, Imperatorem legato.

Peccauimus ô Imperator: quod admiſſum eſt flagitium, non te celamus quando & ipſa coarguit creatura. Non negamus inſaniam qua ſumus debacchati in tuas imagines, immo aduerſum nos ipſos furore ſumus abuſi. At certe ad extremum vſque tuam erga nos clementiam tãquam condemnati retinemus ac præſtolamur.

Rurſus ex eodem Sancti Phlauiani ſermone.

Ne tot tantáſque imagines corruperis, ob vnã æream: ne tot effigies Dei manu effigiatas contri ueris, propter vnam fuſili ære excuſam, quando eadem nullo propè negotio poteſt denuo conflari ac refingi.

Ex eodem Chryſoſtomo, quod teſtamenti quum veteris, tum noui vnus ſit legiſlator, & in veſtimentum ſacerdotale.

Picturam quoque ego complexus ſum & amaui, licet cera fuſili expreſſam, modò plena fuerit pietatis. In imagine enim vidi barbarorũ agmina perſequentem, barbarorum proculcatas nationes, ſimul & Dauid vera profitentem: Domine, in ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.

Ex ſancto Baſilio in laudem ſanctorum quadraginta martyrũ.

Age igitur iam in medium.) Habes ſub finem primi libri.

Sancti Gregorij Nazianzeni, ex eius poëmatibus.

Aut ne doceto, aut doceto moribus:
Nec hac quidem parte attrahito, altera verò pellito manibus.
Minus egueris ſermone, faciens quæ oportet.
Pictor docet plenius ſuis delineationibus.

Eiuſdem ſententiæ interpretatio.

**Enarratio hæc Ioannis Damaſceni eſt, mea quidẽ ſententia.*

Si (ait) moribus minimè doceas, nec doceto ſermone: vt ne quos verbo ad te allexeris, à quàm optimis moribus ſubmoueas per vtriuſque diſſectionem. faciens enim quæ fieri opus eſt: ipſa ei9 recta operatio fiet ſermo doctrinæ, quẽadmodum & pictor ſuis effigiationibus pleniùs docet.

**κεφαλαίȣ ὀγδόου, ſubeſt mẽdum.*

*Ex Chryſoſtomo in *octauum caput epiſtolæ ad Timotheum.*

Sed forma eſto fidelium, circa omnia teipſum exhibens formam bonorum operum. hoc eſt, ipſe eſto exemplar rectè inſtituendi vitam, cuiuſmodi eſt imago omnibus palàm expoſita.

Ex alloquutorio ſanctæ ſynodi ſextæ.

Rurſum Neſtorius, iterúmq; Celeſtinus & Cyrillus. Ille quidem Chriſtum diuidebat & bipertiebatur: hi verò vt qui vtramque Domini naturam coünibant, illum deiiciebant diſſectorem. Epheſus quidem hæc. & eorum quæ illic peracta ſunt, tabellæ ſilentiò, nimirum citra vocem ſcripturæ loquentis promulgarunt.

Ex ſeptimo libro Stromáτων Clementis antiquiſſimi doctoris ad Alexandrum.

Itaque

Itaque non approbat modò quæ bona ſunt:ſed vrget adigítque, bonus vt ſit, ex bono & fideli ſeruo per charitatem tranſmouens in amicum propter diuturni habitus perfectioné quæ ſynceriter acquiri ſolet per veracem diſciplinã vnà cũ iugi exercitatione. Is igitur adactus aſſuefactione, eaq́ue exornatus & per eum habitum ſe in officio continens ſi ad apicem peruenerit ſciẽtiæ, atque habeat eas omnes prærogatiuas quæcunque requiruntur ad hoc vt quis dicatur veraci rerum cognitione præditus, talis aciem mentis defigens in imagines quæ ſint inſigni forma præcellentes, ſecum recogitet multos quidem eorum qui præ ſe cum virtute vixerunt, putà patriarchas, plurimos autem prophetas, immo angelos quanticunque ſunt, nobis planè innumerabiles, quin etiam ipſum Dominũ cæteris omnibus ſuperiorem, qui verbo docuit & re ipſa exhibuit nos poſſe nobis vendicare & aſſequi eandem cum illis ſummatibus viuendi formulam.

Sancti Theodori epiſcopi Pentapoleos.

Rurſus vir quidam ex illius regionis primoribus, nomine Dion qui multis donariis ſancti martyris templum exornauit, inſuper altare & ad id amictum ex argenti bracteolis affabrè fecit. Huius viri vnus è famulis ſuffuratus pecuniȩ non exiguam vim fuga ſibi conſuluit. Refugam hunc nõ eſt perſecutus Dion, ſed ad S. martyris imaginem ſe conuertens, ipſius ſimilitudinem ac

figuram impreſſit ceræ, ſuaque fide in ſanctum martyrem reiecta eam affixit oſtio veſtibuli ſacræ ædis. Hac appoſita, ſeruus quaſi à quopiam inſtigatus ad ſe rediit, venítque ad dominum ſuum, ac nihil eorum quæ ſuppilarat, diſperiit. Hoc igitur ſimul atque reſciuerunt omnes, in hodiernum vſque diem obſeruãt illius regionis incolæ aduerſus cõpilatores & refugas famulos.

Sancti Athanaſij Alexandriæ Archiepiſcopi, libro tertio aduerſus Arianos.

Sanè proprium germen Patris quum ſit filius, meritò ſua ipſius eſſe aſtruit quæ ſunt & Patris. Quare nihil præter decorũ & ordinis cõſequentiam, dicebat: Ego & Pater vnum ſumus. Vnde & intulit: Vt cognoſcatis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt. Rurſus hoc etiamnum priùs dixerat, Quia, qui vidit me, vidit & patrem. In his proinde tribus ſententiis vnus idémque eſt ſenſus. Qui enim ita nouit, nimirum quia filius & Pater vnum ſunt, vtique nouit quia filius in Patre eſt, & Pater in filio. Filij enim eſſentia diuina eadem eſt & Patris quæ & in filio. Hoc porrò qui intellexit, nimirum ſcit quia qui vidit filium, vidit & Patrem. In filio enim diuinitas Patris cõſpicitur. Hoc ſanè poſſit quis perſpectiùs intelligere per exemplum regiæ imaginis. Siquidem in regis imagine ſpecies eſt & forma: in rege autem ſpecies quæ & in imagine. Atqui ſimilitudo in imagine regis nulla re euariat: vſque adeò,

adeò,vt qui ſpeculatur imaginem,ipſum quoque cernat regē in ipſa,ita vt agnoſcat ipſum per imaginem repreſentari, per id quòd nulla diſſimilitudo intercedit ei qui viſa imagine ipſum vult regem contueri,adeò vt reſpondere imago poſſit: Ego & rex vnū quiddā ſumus. Ego enim in illo ſum:& ille in me.Et,Quod vides in me, hoc vides in illo·& quod in illo vidiſti,hoc cernis & in me.Qui enim veneratur imaginem,vtique & regem veneratur in eius imagine.Eius enim & forma eſt & ſpecies ipſius imago.

Eiuſdem ad Antiochum principem.

Quid adhæc reſpondent,qui aduerſantur nec permittunt nos venerari ſanctorum imagines? Hæ quidem à nobis exprimuntur,ad nouandam eorum memoriam.

Ambroſii epiſcopi Mediolanenſis ad Gratianum Imperatorem de incarnata diſpenſatione Dei verbi.

Deus & ante carnis ſuſceptionem & Deus in carne.Sed enim dixeris,Inceſſit nos metus,ne videamur Chriſtum in partes diducere,tribuendo ei duas principes animæ facultates ſiue duplicē ſapiētiam.Ita ne,quando eius diuinitatem & ab ipſo aſſumptam carnem veneramur, bipertimur Chriſtum? An cum in eodem & imaginem Dei & crucem adoramus, alterum ab altero diuellimus? Abſit.

*Ex duodecima * Catecheſi Cyrilli Patriarchæ Hieroſolymitani.*

Cauſam igitur ſi queris aduentus Chriſti, recurre ad primum ſcripturæ librum. Mun-

* κατήχησις instructio ſecretior, unde κατηχούμενοι.

dum enim hunc diebus ſex condidit Deus. Sed enim mundus ipſe hominis cauſa conditus eſt. Sol ipſe ſplendidiſſimus radiis illuſtribus illuſtrans orbem. Atqui hic (vti diximus) in hominis gratiam conditus eſt. Omnia denique animalia vt nobis ſubſeruiant, producta ſunt. Herbæ ipſæ, arbores ad noſtrum vſum ſunt creatæ. Quicquid item operum ſanequam bonorum à Deo conditum eſt. Sed enim nihil horum ad Dei imaginem, ſolus homo ad eam formatus eſt. Sol ſolo mandato, homo autē Dei manibus formatus eſt. Faciamus enim hominem ad imaginē noſtram & ad ſimilitudinem. Imago regis terreni lignea licet, colitur, quantò magis imago Dei prædicta ratione?

Ex ſancto Baſilio ad ſanctum Phlauianum de Samaritide.

Dominus noſter cum enim adorationis ſpeciā quæ in certo loco fiebat, familiari conſuetudine introductam dedoceret, ait: In ſpiritu & veritate oportet adorare, ſeipſum videlicet inſinuās eſſe veritatē. Quemadmodum in filio dicimus adorare Patrem, quaſi in imagine Dei Patris: ita & in Spiritu, quaſi in ſeipſo declarante Domini diuinitatem.

Sancti Gregorij Nazianzeni in baptiſma.

Si à ſuſcepto baptiſmate tibi obiiciat ille illuſtratiui baptiſmatis inſectator (obiiciet planè, etenim ipſi verbo ac Deo meo obiecit) tu inquā illi quod arcanum eſt & occultum baptiſmi lumen

men per id quod eſt conſpicuum oppone. Habes quo eum euincere poſſis. Ne metuas inire certamen. Obtende illi Spiritum, oppone aquã. Et poſt pauca, ſignaculo fretus præſidẽs dic: imago ſum Dei ſupernæ illius gloriæ. Nondum eò ſum delapſus quò & tu per impotentem ſuperbiam. Chriſtum indui, virtute baptiſmatis mihi vendico Chriſtum. Tu me potiùs adorato.

Sancti Ioannis Chryſoſtomi in Machabæos.

Regum imagines expreſſas non in auro ſolùm & argento aut alia quauis prociosiore materia deprehendat quis explendeſcere: ſed & aliquando eandem formam videre liceat depictam in ære. Nec tamen diuerſitas multiformis materiæ quiduis noxæ aut detrimenti dignitati imaginis: neque communio inferioris honorem obſcurat aut imminuit præſtantiorum, ſed omnes ex æquo imagines commendat ac luculẽtas reddit regalis formæ excuſio, ipſeque nihilo imminutus per materiæ vilitatem imaginem ſuam figuram excipientem efficit precioſiorem.

Eiuſdem contra Iulianum impium Dei contemptorem.

Quid porrò nouus iſte Nabuchodonozor? Hic enim erga nos exhibuit nihil plus clementiæ & humanitatis atque ille priſcus: cuius flammam vt effugerimus, adhuc tamen nos diuexant carbones. An non donaria etiãnum ſanctis conſecrata & in eccleſiis repoſita excitandis fidelibus ad eorum venerationem abunde declarant de-

trimentum ac ſugillationem vniuerſo corpori inuſtam?

Eiuſdem in lauacrum ſiue peluim.

Quemadmodum enim regum formæ expreſſæ & imagines quum emiſſæ fuerint & illatæ in ciuitatem, principes populíque honoris gratia obuiam prodeunt cum fauſta acclamatione ſimul & metu honorem deferentes non ipſi tabellæ, non item fuſili picturæ in cera: ſed regiæ imagini. Sic & creatura.

Seueriani Gabalorum epiſcopi ſermone quarto in laudem Sanctæ Crucis.

Percuſſit petram Moſes ſemel ac bis. Quamobrē ſemel & bis? Si certa fide obſequutus fuiſſet potentiæ Dei, quid opus fuerat ſecunda plaga? Quòd ſi abſque Dei virtute ferit lapidem, nō ſecunda percuſſio quicquam potuiſſet, non decima, ac ne centeſima quidem poſſit fœcunditatem inducere naturæ ſterili. Sanè quidem opus hoc Dei ſimplex fuiſſet, nec myſterium ſubindicaſſet Sanctæ crucis, abunde fuiſſet ſemel tangere, ſuffeciſſet ſolus annutus, ſat fuiſſet vel verbū. Cæterum hoc pacto res geſta eſt, vt præſignaret imaginem Crucis. Percuſſit Moſes ſemel & bis, ait non habitū ipſum ſed deſcribens ipſam Crucis formam: vt & reuerentiā exhiberet ſymbolo crucis ipſa quoque inanimis natura. Si enim abſentis regis imago eius* gaudium ſupplet, eámq; venerantur principes ac feſti dies peraguntur, ipſi principes pergunt obuij, populi prócidunt, non

** χαρὰν pro hoc lege παρουσίαν, præſentiam.*

non quidem adorantes quam vident, depictam tabellam, ſed ad expreſſam regis figuram animū intendunt. non in natura eius quod ſpectatur, ſiſtunt cogitationem: ſed in eo qui per picturā indicatur. Quantò magis regis imago immortalis non petram modò poteſt: ſed & cœlum, totum inſuper orbem terrarum perrumpere?

Ex Chronographia Iſidori Diaconi.

Peccauit Theophilus, apud Eudoxiam Imperatricem maledictis inſectatus Iohannem Chryſoſtomum, quòd ſentiret quę facerent ad Origenis hæreſin. Inimicitias exercebat Auguſta aduerſus iam dictum Ioannem prætextu vineæ à vidua abreptæ. Obque id peccatum non potuit animā reddere Theophilus quoad eò appuliſſet Chriſoſtomi imago. Ea adorata tradidit ſpiritū.

Hieronymi Hieroſolimorum presbyteri.

Quum nuſquam vobis permittat ſcriptura adorare Crucem, qua tandem gratia vos eam colitis? Reſpondete nobis Iudæis & Græcis deniq; & vniuerſis gentibus quæ cauſam rogant.

Reſponſio.

Ob hoc ô parum cordati, ſed & corde impudētes fortaſſe omni genti Deum colenti permiſit ipſe Deus adorare quidpiā humani operis, vt ne vlla ex parte Chriſtianis intenderetis crimen de Crucis ac imaginum adoratione. Quemadmodum igitur Iudæus arcam teſtamenti adorabat, duos item Cherubim & eos ex auro conflatiles, duas inſuper tabulas quas è petra exculpſit Mo-

ſes,

ſes, nullatenus tamen permiſſus hæc adorare aut complecti charius: ita & nos Chriſtiani Crucem ipſam obuiis manibus complectimur ac ſalute impertimur, non quidem tanquam ſit Deus: ſed per hoc declarantes genuinum animæ noſtræ affectum erga eum qui eſt Cruci affixus.

E magno illo Simeone à monte admirabili de imaginibus.

Vnus fortaſſe infidelium contentionis amantior controuertet & addubitabit, quia nos in eccleſiis imagines adoramus, acſi reputemur preces fundere ad inanimata ſimulacra. Abſit, vt hoc à nobis fiat. Quicquid enim à Chriſtianis fit, fides eſt: nec fallit aut mentitur Deus noſter. Virtutes ſuas efficaciter operatur. Non enim colores ipſos colimus, ſed vt admoneamur eius cui ex aduerſo reſpondet pictura, & per eam picturã nulli non conſpicuam contemplantes inuiſibilem, tanquam præſentem glorificemus, non quaſi nõ adſit Deus, credentes, ſed quia verè exiſtit, neque item de ſanctis nobis perſuademus eos non eſſe, immo credimus eos eſſe & viuere apud Deum, eorum inſuper ſpiritus (ſancti quum ſint) etiam perſuademur iis auxiliarij Dei virtute qui digni ſunt & eis ſupplicant.

Anaſtaſii Archiepiſcopi Antiocheni ad Simeonem epiſcopum Boſtrenſium de Sabbato.

Quemadmodum abſente quidem rege, ipſius imago adoraturi eodem verò præſente, ſuperuacaneum ſit deinceps, vt relicto prototypo adores eius imaginem: nec tamen quòd adſit is cuius

gratia

gratia adorabatur, cōuenit eam habere contemptui. Tale quid arbitror cōtigiſſe circa vmbram ſiue literā. Vmbrā enim ipſam vocat Apoſtolus. Quatenus enim tēpus extrahebat ſequuturæ veritatis gratia, figuras dixere priores ſancti, ipſam contemplātes veritatem tanquā in ſpeculo. Mox vbi veritas ſuo ad nos aduētu inclaruit, non iam bonum cenſebant viuere ſecūdum eas figuras atque eiſdē deinceps inſiſtere. Ipſæ enim res quum adſint, ſuperfluè quis de cætero deſyderet earum figuras. Attamen vt res ſe ſic habeat, nō cōtinuo aſpernabiles videri cenſebam aut prorſus ſuperuacaneas, ſed ceu figuras honore proſequebar, & eos qui contumeliis ipſas aſpergebant, impios eſſe iudicabam & amaræ mortis ſupplicio dignos.

Ex eiuſdem ſermone tertio.

Perinde atque ſiquis debito erga regem honore adorat eius imaginem, vt aliud nihil ſit quàm cera & colores.

Sanctæ & œcumenicæ Synodi quintæ Anathematiſmus duodecimus.

Si quis ſibi arrogat hæreſin impij Theodori mox Sueſtienſis, qui dixit alium eſſe Deum verbum, & alium Chriſtum, propter animæ perturbationes & turbulentas carnis concupiſcentias & quia is à deterioribus iſtis affectionibus ſe ſenſim ſubtrahens ita ſit melior effectus per promotionem bonorum operum & incontaminatam conuerſationem, vt nudus ipſe ac ſimplex homo baptizatus ſit in nomine patris & filij, & Spiritus ſancti & gratia Spirit⁹ ſancti per baptiſmū acce-

pta dignus ſit habitus qui adoptaretur in filiū & propter æqualitatem regiæ imaginis in perſona Dei verbi adoraretur. ſic ſentiēs Anathema eſto.

Theodori hiſtorici Conſtantinopolitani ex eius eccleſiaſtica hiſtoria de Genadio Archiepiſcopo Conſtantinopolitano.

Alia inſuper eius apponam plena ſanè ſtuporis & admirationis. Sub Gennadio, exaruit pictoris manus qui pro Ioue ſaluatorem fuerat auſus ſuo deſcribere penicillo quem & Gennadius oratione ſanauit. Qui hoc recenſet, aſſerit aliam fuiſſe formam ſaluatori veritati magis conſentaneā, vt qui criſpis fuerit & rarioribus capillis.

De Maximo Abbate & Theodoſio ac principibus ab imperatore miſsis.

Sanctus Maximus dixit, Quandoquidem viſum eſt, vt hæc fiant: eorum quæ decreta ſunt, contingat exitus, & quocunque iubetis, ſequor vos. His dictis ſurrexerunt omnes & cum lachrymis peregerunt pœnitentiam, oratio inſuper facta eſt. Dein ſinguli quiq; eorū euāgelia ſancta, præcioſam Domini Crucem, imaginē Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ſanctæq; deiparæ quæ ipſum enixa eſt, oſculo complexi ſunt, admotis manibus pro eorum confirmatione quæ fuerāt interloquuti.

Sancti Sophronij ex opere de miraculis ſanctorum martyrū Cyri & Ioannis ad Theodorū Hypodiaconum podagra laborantem.

Proinde & corporis robur quale fuerit, deinceps ediſſeramus, paucis ſermonē pertexētes. Exactis hiſce diebus aliquot, obdormierat & rurſus videt adſiſtentes dictos martyres, ſecúmque vt capeſſeret viam, iubentes. Ille porrò propeſius

ipſos

ipſos ſequebatur. Planè nouerat quantum ad ſe rediret lucri, ſi ſanctos comitaretur. Quum igitur ad templum gentilium perueniſſent, ſpecie quidem terrificum ac præfulgẽs, celſitudine autem cœlos ipſos attingens, quod introgreſſi imaginem vidimus maximã & admiratione dignã, medium cuius habebat adſcriptum Domini Ieſu Chriſti nomen. Siniſtra Dominam ac Deiparam tenebat, Ioannem baptiſtã dextera, qui ex vtero exultatione Dominum prænuntiauit, cúmque intus loqueretur non eſt exaudita vox eius. Vidimus & quoſdam è glorioſo & illuſtri choro apoſtolorum ac prophetarum, è cœtu itẽ celebri martyrum quibus allecti erãt Cyrus & Ioannes qui & genibus inflexis procidebant Domino capita demittentes in pauimentum, próque excitando nouo cultu interpellantes. Iſtius autem legationis verba hæc erant: Amantiſſime generis humani Domine iubés ne, vt huic demus ſalutarẽ medelã? Quúmq; illi crebriùs venerabundi procidiſſent Domino, ſupplicationíſq; verba effudiſſent, nec eorum precibus annuiſſet Chriſtus Dominus, ab interceſſione ſibi temperarũt, & demiſſo vultu animíſque deiecti ad me accedunt, non ita procul ab imagine ſtantem. Quum proximè adſtarent, aiunt: Vidés ne vt Dominus non indulgere vult ſalutarẽ medelam? Atqui, ne tu ob id cóncidas animo. Omnino enim erga te, vt erga cęteros omnes, clementer agit. Séque eri-

gentes quaſi poſt ſemihoram & illinc ſe recipiẽtes rurſus ſupplicarunt, réque infecta (ait ille) reuertuntur mœſto (vt priùs) vultu & parum animi oſtentantes quòd Chriſtus Dominus non aſſentiretur deprecationi. Et hæc mihi enarrarunt. Tertiò autem me adeuntes dicunt: Confide, vel nunc gratiam omnino accepturi ſumus. Quin etiam quemadmodum nos cernis ſupplicantes nobiſcũ veniens ſupplica & tu Domino. Et ante imaginem tertiò prouoluti, prædictis modis ac verbis vſi ſunt & horam penè in deprecando cõſumpſerunt. Quúmque ſe deiecerunt, idq; tantũ exerta voce deprõpſerunt: Iubes Domine. Tunc Chriſtus miſericordia motus, quippe qui miſericors eſt, ab ipſa imagine cõciſis hiſce verbis reſpõdit: Date ei. Martyres ſeſe ab humo attollẽtes primùm quidẽ gratias egerunt Chriſto Deo noſtro, quòd ſuam ipſorum deprecationem exaudiſſet.

Sancti Anaſtaſii à Sancto monte Sinai in nouam dominicam & in apoſtolum Thomam.

Qui Chriſtũ in carne viderunt, quaſi prophetam eum habebãt: nos qui nequaquam vidimus, mox à tenellis vnguiculis pueri dum & adoleſcentuli Deum ipſum dominum & omnipotentem & conditorem ſeculorum, neque non ſplendorem Patris confitemur. Vt enim Chriſtum ipſum videmur audire loquentem: ita & eius euangelia fideli auditu excipimus, & nulla aſperſum labe corpus ipſius ſuſcipientes, nos ipſum Chriſtum geſtare perſuademur, licet ſolam eius effi-

effigiem in imagine expreſſam contemplemur. Sic ipſum quaſi è cœlo in nos intenta oculorum acie reſpicientem interpretamur, adoramus, ipſi procidimus. Sanè eximia eſt fides qua nunc in Chriſtum creditur.

Ex vita abbatis Danielis de Eulogio Lapicida.

His tũ cõtẽptis abiit ſeq; proſtrauit in cõſpectu imaginis Deiparæ, cúmque fletu dicebat: Domine quod fideiuſſi, exoluito erga hominẽ hũc.

Ex hiſtoria vitæ Mariæ Aegyptiacæ.

Flens igitur, ſupra locum in quo ſtabam, video imaginẽ ſanctę Deiparæ, eamq́ue hiſce alloquor verbis: Virgo Deipara ac regina quæ Deum verbum ſecundum carnem enixa es, noui planè, noui quàm ſit indecorum nec rationi conſentaneũ me ſic peccatis contaminatam, tótque adeò ſordibus profligatæ luxuriæ ſqualentem* contemplari tuam vnius ſemper virginis imaginẽ. Quin iuſtum potiùs eſt, vt tuæ iſti tantæ puritati exoſa ſim, habearq́ue execrabilis. Veruntamen quando Deus qui ex te natus, ob hoc factus homo eſt, vt peccatores vocaret ad pœnitentiam, mihi ſolitariæ nec quicquam aliud habenti præſidij, fer opem. Iubeto tua vnius indulgentia adaperiri mihi ingreſſum, vt ne defrauder viſione ſancti ligni, cui ſecundum carnem affixus eſt Deus verbum quem genuiſti qui ſanguinem proprium in precium dedit pro mea redemptione. Iube ô Domina mihi ianuam adaperiri, vt admirabile lignum S. Crucis adorem. Ei qui ex te natus eſt,

*χσθορᾶν.

do ego te digniſſimā quæ pro me fideiubeas nūquam me in poſterum carnem hanc cōtaminaturam qualicunque tandem obſcœna ac turpi permixtione: ſed vt primùm contemplata fuero lignum Sanctæ crucis filij tui, mundo huic & his quæ in eo ſunt, omnibus quàm citiſſimè renuntiabo & è veſtigio egrediar, quocunque ſubmonueris & deduxeris me. His dictis, ſicque ſumpta certitudine ex feruore fidei & clementia Dei genitricis animo confirmata, ex eo loco ſeceſſi, in quo ſtans deprecationem effuderam, Iterúmque ad fores redij & introeuntibus me permiſcui. Et iam nemo qui obturbaret, aderat & repelleret, nemo qui abarceret communi aditu templi. Itaque tremor quidàm me inuaſit & mentis emotio ac prorſus animo exagitabar intremiſcens. Proinde in terram procidens & ſanctum illud pauimentum cum veneratione cōplexa feſtino curſu exibam, ad eam quæ pro me fideiuſſerat ſtudio cōtendēs. Propior igitur facta ei loco, in quo conſcriptū eſt fideiuſſionis chirographū, inflexo genu in cōſpectu ſemper virginis Dei genitricis, hiſce verbis ſum vſa: Tu quidem ô amantiſſima bonitatis Domina tuā erga me clementiā & benignitatē declaraſti. Supplicationē indignæ famulæ tuæ non es abominata. Vidi gloriam quā iuſtè non merebamur videre omni genere flagitorum contaminatæ. Gloria Deo, ei qui admittit peccatorū pœnitētiam. Et quæ deinceps ſequuntur.

Ex vita ſanctæ Eupraxiæ.

Dicit diaconus puellæ, Abi Domina mea in domum tuam,quia hîc non potes permanere.Neque enim quis hîc perſiſtere poteſt, niſi Chriſto coüniatur. Dicit ei puella,Quo in loco eſt Chriſtus?Diaconus oſtendit ei Dominicam effigiem. Illa conuerſo vultu reſpondet Diacono. Verè & ipſa coniuncta ſum Chriſto, neque in poſterum abitura ſum cum Domina mea. Cumque ſurrexiſſet Eupraxia,ſuamq; accepiſſet filiá,ſe ſtitit in conſpectu Dominicæ imaginis, manibúſque in cœlum exporrectis exclamauit flebili voce: Domine Ieſu Chriſte,huius infantulæ curam habeto,quia te concupiuit,ſeque tibi cõmendauit.

Ex ſexta Sancta Synodo, imperante Iuſtiniano, de decretis ſanctæ quinta Synodi.

In nonnullis venerabilium imaginum picturis inſcribitur agnus digito præcurſoris demonſtratus qui in figuram ſucceſſuræ gratiæ aſſumptus eſt per legem nobis præinſinuans verũ agnũ Chriſtũ Deum noſtrum.Veteris enim legis figuras atque vmbras benignè & cum gratiarum actione amplectentes tãquam ſigna & præſignationes ſequuturæ veritatis eccleſiæ traditas, gratiam alioqui præferimus & veritatem, vtranque hanc excipientes,quaſi complementum & conſummationem legis.Velut igitur abſolutam legis perfectionem definimus erigi (etiam ſi in oculis omnium verſicoloribus picturis deſcribamus)agnum qui tollit peccatum mundi, nempe Chri-

De conſecrat. diſt. 3 Cap. ſextã ſanctã.

Chriſtum Deũ noſtrum per humanam formam & in imaginibus ex hoc nunc, vice illius veteris agni, per eam humiliationem alioqui intelligẽtes ſublimem illam maieſtatẽ Dei verbi & velut manuducti ad nouãdam memoriam eius in carne conuerſationis, paſsionis & ſalutiferæ mortis, neque non eius quæ illinc toti mundo obtigit, precioſæ redemptionis.

Sancti Methodij Patarenſium epiſcopi ſermone ſecundo de Reſurrectione.

Iam primum enim ratione conſimili regum imagines vt non ſint multo precioſiore materia inſtructæ puta auro & argento, nihilominus honor eis ab omnibus defertur. Qui enim eas venerantur homines & obſeruant, non eò hoc faciũt, quòd ſint tãtò precioſiore materia cõfectæ, imò ne eas quidem aſpernantur quæ viliore materia conſtant: quin ad vnã omnes ſuper terrã honore afficiũt, vt è gypſo fuerint aut ex ære, & quiſquis in alterutrã fuerit blaſphemus, non quaſi lutum aſperſerit contumeliis, eximitur pœnæ: neque quia preciũ auri vile duxit & imminuerit, iudicatur, ſed quòd in ipſum regem ac Dominũ impiè geſſerit. Imagines quidem auro affabrè factas ipſi conſtituimus quæ principatus & poteſtates angelicas Domini repræſentent, ad honorem & gloriam ipſius.

Tertij libri Ioannis Damaſceni de veneratione ſanctarum Imaginum

FINIS.

Sanctі Patris noſtri & confeſ-
SORIS THEODORI AN-
tiſtitis cœnobij Studienſis Dogmatice de honore adorationéque ſanctis imaginibus, exhibendis.

COmmemoratione Præcurſoris heſterno die celebrata fratres ac patres, memorię prorſus ſuccurrit eius vitæ diſciplina quã ipſi in monaſterio tenuimus, quo quidem pacto per id temporis in domo Dei ambulabamus cũ conſenſu, quo itẽ modo iidem nunc pro locorum ac regionum diuerſitate ſimus alter ab alio diuulſi. Cæterũ quãdo diſperſio hæc propter verbum Dei contigit, gaudendum verius eſt, iuxta eius mandatũ. Gaudete enim ait, & exultate, quia merces veſtra multa eſt in cœlis. Huc facit, quia aſſimilamur Domino qui dixit: Si me perſequuti ſũt, & vos perſequentur. Si ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt. Sed hæc omnia faciẽt vobis propter nomen meum, quia non nouerunt eum qui me miſit. In veritate enim vt olim Iudæi non norunt Patrem per hoc quòd filium non acceperunt: ita & hi * iconomachi vtique Chriſtum non norunt, quippe qui non agnoſcunt ſed auerſantur eius imaginem. Equidem veritas hæc omnibus palàm eniteſcit: qui autem eam intelli-

*εἰκονομάχοι Imaginũ oppugnatores.

gant,vix vnus è mille.Videte iſtorum reprobam mentem in ſectas duas diuulſam. Alibi quidem cenſet hic nullo modo Chriſti imaginem eſſe erigēdam.Alicubi verò decernit alter in ſublime attollendam, fortè autē vt in exemplum proponatur * bellandi ac venandi his qui percunctaturi ſunt,quemadmodum aïunt,non item oportere eam adorari. Neq; enim adoratur imago equi, bouis,canis, leonis, pardalis, ſerpentis, volucris aut piſcis.Ob horum indignitatem,quis vel qualicunque ſenſu præditus non ingemiſcat? Quis ſibi tēperet à lachrimis?Imaginem enim Chriſti, quam reuerenter obſeruant ac ſuſpiciūt Angeli,Dæmones ad eius aſpectum percellūtur horrore, iſti nihil verentur in ordinem redigere ſimilíque aſpergere ignominia cum immanibus feris,quadrupedibus,reptilibus,volucribus, cūq; marinis animantibus. O expaueſcendam animi conceptionem! O temeritatem tantò formidabiliorē priore! At interim iſti quid? Imaginem hominis,hominem vocant:bouis,bouem: aſini, aſinum:cameli,camelum:perdicis,perdicem,nec ſecus alia quæque iuxta vel conformitatem vel difformitatem ſuæ ſpeciei, ſiue animalium fuerint, ſiue plantarum imagines:imaginem verò Chriſti,Deiparæ, aut cuiuſcunque tandem ſanctorum nullo pacto ſuſtinent nominare iuxta prototypum aut * paragogum:ſed imagines ſimpliciter nec aliud eſſe fatentur, quàm imagines, huius

Iuxta veterem parœmiam.

* πρωτότυπον *primarium exemplar* παράγωγον *deductitium derivatiuum.*

huius autem ne ſint, an illius non addunt, vt ne comperto errore à cõmunione abarceantur, tanta iſti redundant abſurditate & blaſphemia. Vos autem fratres huc incumbite ac ſcitote etiamnũ præter dicta à ſanctis patribus noſtris, pariter & à nobis humilibus, quòd loca in quibus natus eſt Chriſtus, ſancta ſunt & habenda venerationi atque adoranda prædicantur. Et ſiquis illinc acceperit ſiue puluiſculũ, ſeu lapidem, eum adornat atque complectitur quaſi peculiarem theſaurum aut ſacras quaſdam reliquias. Quantò potiùs Chriſti cumprimis honorandam & adorandam imaginem, in qua quaſi in ſpeculo eluceſcit nobis, proinde & adoratur? Natiua enim vis hæc inſita eſt imagini, vt eũ repreſentet iuxta cuiuſque ſpeciẽ, cuius effigiem præfert. Proinde intelligo * aſſeruari Romæ claues Petri, apoſtolici ſenatus principis, honoris gratia, etiámſi claues nullas ſenſibiles dederit Dominus Petro: ſed ore tenus in hoc, vt penes illum eſſet poteſtas ligandi atque ſoluendi. Eas autem argento confectas palàm adorandas proponunt. Sanè tanta eſt eorum fides, vt & illic infracta videatur eſſe petra fidei, nimirum iuxta verbum Domini fundata. E diuerſo hîc quaſi redundare vidẽtur infidelitas ſimul et iniquitas. Eam ob rẽ humilis ego dolore cordis indoleſcens ac ſententiam pertimeſcens damnationis ob intẽpeſtiuum ſilentiũ, hac adactus neceſſitate in vocem prorumpo.

*pro ἄγουσι, lego τηροῦσι.

Quæ porrò eloquor, cõpendiaria ſunt & è multis ſelectiora. Quum iſti diuerſæ ab eccleſia opinionis non deſignant blaſphemam aduerſus Chriſtum lingam promouere quum ſeorſim, tum publicè, ſcripto quoque & citrà ſcripturam: nos contrà ſeſſitantes domi, nũnam de his inter nos mutuo ſermone conferemus quę ſunt officij noſtri? Quî quæſo iram Dei ſuſtinere poterimus? Ecqua tandem ratione illos imitabimur patres noſtros qui conſimilibus temporum procellis agitati, ſubticeſcere & per metum diſſimulare cenſuerunt eſſe proditionem veritatis? Itaque loquendum eſt, audiendum eſt & ſolerti ſtudio attendendũ quũ ſermone, tum opere. Etenim beati apoſtoli nõ ſola prædicatione diuini verbi, ſed & irreprehenſibili conuerſatione vitæ vniuerſum euicerunt orbem, lumine cognitionis Dei illuſtrantes qui in tenebris ignorantiæ ſedebant, inſipidos ac fatuos condientes ſale ſapientiæ, perãm modò ac virgã circunferentes quos imitati fratres vtraque hac functione nos ipſos probemus Deo. Contenti præſentibus auerſemur cupiditatem congerendæ pecuniæ, nec vllum poſſideamus peculium. Et hoc quidem non veſtri cauſa dictum ſit, ſed in eorum commonitionem qui inopiam defugientes, præter neceſſitatem ad opes cumulandas progrediuntur. Cum mulieribúsve cõgrediamur familiariter, à quibus in nos profluit mors. Equidem ſi ad hanc viuendi formulam

mulam conuerſabimur, in nobis glorificabitur Deus. Profeſſio noſtri huius propoſiti magni æſtimabitur: & aduerſarij quanticunque fuerint, ſuppudeſcent, denique ad conuerſionem inuitabuntur. Quòd ſi nō ad eum modum vixerimus, malè nobis metuo, ne pro ſperata beatitudine æternam reportemus condemnationem. Ipſe autē Deus pacis qui tranſmutat omnia & permutando refingit in id quod optimum eſt, ſuæ eccleſiæ impertiatur pacem, nóſque prudentes efficiat. Denique omnes nos ad ſalutē prouehere dignetur ad percipiendum illud cœleſte regnum, in Chriſto Ieſu Domino noſtro cui gloria & imperium, cū Patre & Spiritu ſancto, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum, Amen.

FINIS.

400:138

ERRATA SIC CORRIGITO.

Equora ſcribe æquora.folio.13.pag.2.linea. 4.à fine. imiginis leg. imaginis fol.17.pag.2.lin.8.à fine. præſignent leg.præſignant. fo. 22.pag.1.li.11. tabulæ leg.tabulas.fo.23.pag.2.li.7. ſortita leg.ſortitam 4.pòſt linea.quinam l. quì fo.24.pa.2.li.1. adnittitur l.adnititur fo.30.pa. 1.in medio. ſculturis l. ſculpturis fo.32.pa.1.circa medium. ſeruierunt & l. & ſeruierunt.fo. eod. pa.2.ſub medium. viantde l. vitandæ fo.33.pa.1.li.12. ſancitatem l. ſanctitatem fo.34.pa.1.li.10.ſiquidem l. ſi quidem fo.36.pa.2.li.9. couparticipes l.comparticipes fo.38.pa.1.li.1. poſt aliquot lineolas templi l. templum. conſumaret l. conſummaret fo.41.pa.1.li.9. Ibidē pag.2.li.6.obunbrantia l.obumbrantia. Ibidem in medio pro legem ſcribe lege. & tertia à fine dele quæ. incircunſcrilis l. Incircunſcriptibilis Ibidem pa.2.li.7. Hec, hæc. expectamus, expetamus fo.55.pa.1.li.11. Ibidem poſt aliquot lineolas vnaquare l. vnaquaque re. etiam nihil leg.etiam ſi nihil fo.57.pag.2.li.11. Ibidem ſub finem vacua figura. Nolet, nollet fo.58.pa.1.penultima linea. Cōſequūtur l. conſequuntur fo.62.pa.1.li.11. eadem pag.arrogant l. arrogantes à fine linea 12.ordinationem l. ordinatione. pag.2.li.2. ſuſtolimus, ſuſtollimur fo.65.pa.1.li.vltima. Ante,Sed enim interſeri debuit Scholion Ioan.Dam.fo.66.pa.1.li.à fine 8. penult.li.Niſeni, Nyſeni Ante, oculorum defit, aciem fo. 68. pa.1.li.7.Chryſoſtomi.1. 1.7. Ibidem li.7.à fine, dele non ſecus. contigere, contingere fo.70. in medio 2.pag. Inconſpicitur, dele in.fo.72. pag.2. li.1. Circumponitur, circumponunt fo. 74.pa.1.in medio poſt,qua, adde, ratione aſſeris fo.78.initiò primæ lineæ,pa.2.prædicta, prædita fo.86.2. in medio. 4. pòſt linea. ſpenam, ſpeciem. auxiliari, auxiliatri fo.88.ſub finē 2. pa.adoraturi, adoratur.2.à fine lineæ.Moxſueſtuenſis leg. Mopſueſtienſis fo. 89. pa.1. li.9.à fine. flagitorum leg.flagitiorum fo.91.pa.2.li.ante penult.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE